

CONSTITUTIONES  
ORDINIS FRATRUM MINORUM

S. FRANCISCI CAPUCCINORUM.

(EXEMPLAR SOLI S. C. EE. ET RR. COMMISSUM)



ROMAE  
TYPIS VATICANIS  
—  
1897



CONSTITUTIONES  
ORDINIS FRATRUM MINORUM  
S. FRANCISCI CAPUCCINORUM.

---

PROLOGUS.

Ut Congregatio nostra, veluti Altissimi Filii Dei vinea, melius sese in spirituali Evangelicae ac Seraphicae Regulae observantia conservaret, opportunum duxit Capitulum nostrum Generale, celebratum Romae, in conventu nostro S. Euphemiae, anno Domini 1536, nonnulla ordinare Statuta, quae sepiementi more Ordini inservirent, quibus defendi posset a cunctis hostibus vivi spiritus Domini nostri Iesu Christi, ac procul ab omnibus relaxationibus ferventissimo nostri Patris S. Francisci zelo contrariis, subsistere.

Sed quoniam in Sacro Tridentino Concilio et a Summis Pontificibus nonnulla facta fuerant Decreta, hisce nostris Ordinationibus necessario inserenda,

Rñno P. Generali ac PP. Definitoribus placuit, cum unanimi Generalis Capituli consensu, Romae, in conventu nostro S. Bonaventurae, anno 1575, celebrati, haec eadem iterum Statuta, cum additionibus, quas praefata requirebant Decreta, praelo committere.

Simili motivo, ad inserendum scilicet nonnulla alia Decreta de novo facta, optimum visum est Capitulo Generali in eodem loco celebrato, anno 1608, ea typis tertio demandare.

Et quoniam haec Statuta, una cum aliis quibusdam, (factis a Capitulis Generalibus, Romae anno 1625, 1633 et 1637 celebratis) approbata et confirmata fuerint, per Breve, quod incipit *Sacrosanctum Apostolatus Officium*, et cum haec inserenda sint propriis in locis, una cum aliis Decretis pontificiis, inde iudicaverit expedire Capitulum Generale, Romae congregatum, in conventu nostro Immaculatae Conceptionis, anno 1643, ut de novo praelo committerentur.

Cum autem ab eo tempore multa fuerint in Capitulis Generalibus modificata et adiecta, permulta a Summis Pontificibus et a Sacris Congregationibus statuta vel abrogata; cumque praesertim a felicis recordationis Pio PP. IX permulta sint innovata, perutile imo et necessarium visum est Vocalibus Capituli Generalis, anno 1896, Ro-

mae ad S. Fidelem habiti, Constitutiones ita auctas et correctas supremo iudicio, approbationi et confirmationi SS̃mi Dom. Leonis PP. XIII praevis subiicere, antequam de novo praelo commendentur, et sunt sequentes.

---



IN NOMINE DOMINI NOSTRI IESU CHRISTI

INCIPIUNT

# CONSTITUTIONES FRATRUM MINORUM

## S. FRANCISCI CAPUCCINORUM.

---

### CAPUT I.

1. Cum evangelica doctrina, tota pura, summe perfecta ac divina, ad nos de coelo a dulcissimo Dei Filio allata, et ab ipsomet opere et verbis praedicata, sola sit quae rectam tendendi ad Deum viam edoceat et demonstret; ideo cum ad eam observandam obligentur omnes homines, maxime christiani, eoque magis nos Fratres Minores, quo S. Franciscus in initio et fine Regulae suae expressam observandi sancti Evangelii facit mentionem, et in suo Testamento asseruit sibi fuisse revelatum, quod iuxta illius formam deberet vivere; idcirco hortamur Fratres, ut illud semper prae mentis oculis habeant, et ad exemplum Virginis Caeciliae in sinu cordis sui circumferant. Ordinatur autem ut omnibus in locis, singulis matutinis temporibus, salva feria sexta, ad mensam legatur stando una lectio sancti Evangelii.

2. Cumque Regula Patris Nostri S. Francisci sit veluti purum speculum, in quo relucet evangelica perfectio, ordinamus, ut omni feria sexta, in quovis loco legatur distincte

ac cum debita reverentia et devotione, ut menti nostrae impressa, melius possit observari. Et ad hunc finem obtinendum ad minus semel in hebdomada legatur Expositio Regulae, praesertim in lingua vernacula. Aliis vero diebus, post lectionem s. Evangelii, Theologiae Moralis vel casuum conscientiae legatur, dum Fratres manducant, aliquis alius devotus liber; et vespere loco Evangelii, pro prima lectione, legatur alius liber sacrae Scripturae, ut sic non tantum corpus, sed etiam ut magis spiritus pascatur, magisque excitetur ad sectandum Christum crucifixum. Legantur quoque praefixis temporibus Decreta pontificia et alia quae legi praecipiuntur.

3. Et quoniam non fuit tantum voluntas Patris Nostri S. Francisci, sed etiam Christi Redemptoris nostri, ut Regula observaretur simpliciter, ad litteram et sine glossa, quemadmodum eam observarunt iam ipsi primi nostri seraphici Patres, ideo, cum Regula nostra sit observatu possibilis et clara, ut purius observetur, iterum de novo et pro semper in futurum, renuntiamus omnibus privilegiis et glossis, quae illam relaxant et ab eius pura observantia divellunt, ac a pia, iusta, sanctaque mente Christi Domini nostri, qui in S. Francisco loquebatur, abducunt: unice acceptantes pro singulari eius ac vivo commentario declarationes Summorum Pontificum, et specialiter Nicolai III et Clementis V sanctae memoriae, sanctissimamque vitam, doctrinam et exempla ipsius nostri Seraphici Patris. Eapropter omnes contrarios abusos detestamur et proscribimus.

4. Praeterea ut, tamquam veri et legitimi filii Iesu Christi nostri Patris ac Domini, de novo per ipsum in S. Francisco geniti, simus participes eius haereditatis, statuitur, ut omnes observent Testamentum ipsius beatissimi Patris, sicut ordinavit quando beatae morti proximus, sacris Stigmatibus or-



natus, plenus fervore et Spiritu sancto, vehementissime nostram desiderabat salutem; et illud accipimus pro glossa et expositione Regulae nostrae, quemadmodum ab ipso Patre nostro in hunc finem fuit conscriptum, utque promissa Regula melius magisque catholice observaretur.

5. Insuper, quia eatenus filii Seraphici Patris sumus, quatenus eius vitam et doctrinam imitamur: nam Salvator noster Hebraeis dixit: « *Si filii Abrahae estis, opera Abrahae facite* »<sup>1</sup>; idcirco hortamur Fratres, ut quisque pro viribus conetur imitari eum, nobis in ducem, normam et exemplum, non tantum in Regula et Testamento, sed etiam in omni suo ignito eloquio divinoque opere datum; ideo legatur frequenter ipsius vita eiusque beatorum Sociorum.

6. Et quoniam sanctus Pater noster, Deum intuebatur in omni creatura, speciatim in homine ac multo magis in christiano, sed singulariter in Sacerdote, et supra omnes in Summo Pontifice, ideo voluit iuxta apostolicam doctrinam, ut Fratres sui amore Illius, qui pro nobis adeo sese humiliavit, divinae Maiestati in omni humana creatura subiicerentur; ut ergo conformemus nos humillimo crucifixo Domino nostro, qui ad serviendum venit *factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis*<sup>2</sup>; et ut faciamus voluntatem Patris nostri, qui in hunc finem nos appellavit Fratres<sup>o</sup> Minores, ut non corde solum nosmetipsos omnibus inferiores existimaremus, verum, ut in militante Ecclesia invitati ad nuptias sanctissimi Sponsi Iesu Christi in ultimo sistere loco studeremus: hortamur omnes Fratres, ut obediant cum omni humilitate et subiectione Summo Pontifici, supremo omnium christiano-

<sup>1</sup> Ioann. VIII, 39.

<sup>2</sup> Philipp. II, 8.

rum Patri, atque infallibili Doctori, et debitam referant reverentiam omnibus catholicis Praelatis, ac Sacerdotibus, imo omnibus qui nobis viam Dei demonstrant; illud pro comperto habentes, quod, quo persona cui obeditur, propter amorem Domini nostri Iesu Christi, vilior sit, eo gloriosior ac Deo gratior est obedientia.

## CAPUT II.

1. Congregationem nostram virtute magis, perfectione ac spiritu, quam multitudine crescere desiderantes: probe scientes, ut asserit ipsa Veritas infallibilis, quod *multi sunt vocati pauci vero electi* <sup>1</sup>, imo prout Seraphicus Pater mortuam proximus praedixit, quod nulla res purae observantiae Regulae tam nociva sit, quam multitudo Fratrum inutilium et sensualium: ordinatur quod, advenientibus nonnullis ut recipiantur, Ministri Provinciales diligenter sese informant de eorum natalibus, parentela, indole, qualitatibus ac moribus, licet Religiosi fuissent alterius cuiusvis Regulae vel professionis, solerterque attendant omnibus quae circa qualitates recipiendorum tum a sacra Regula et praesentibus Constitutionibus, tum a Decretis pontificiis, praesertim Decretis Pii IX praescribuntur <sup>2</sup>.

2. Conditiones vero praecipuae, quas recipiendi ad Ordinem habere debent, sunt sequentes, scilicet: 1<sup>o</sup> Ut sint catholici et firmiter credant omnia quae credit et tenet Sancta

<sup>1</sup> Matth. xx, 16 et 22.

<sup>2</sup> Nicol. III *Exiit.* § *Sed quoniam.* — Clem. VIII *Cum ad regularem*, 19 Mart. 1603. — Pius IX *Romani Pontifex*, 25 Ian. 1848. S. C. super statu Regul. 1 Maii 1851, et insuper pro Italis *Regulari disciplinae instaurandae*, 25 Ian. 1848 et 16 Ian. 1852.

Romana Ecclesia; et qui fuerit haereticus aut infidelis ordinarie non recipiatur. 2° Ut sint sani mente, et corpore ac fervidae voluntatis, compertumque habeatur, eos cum pura et sola intentione serviendi Deo venire. 3° Ut bonae sint famae et honestis parentibus nati. 4° Ut non habeant patrem, matrem, aut filios in tam gravi necessitate constitutos, ut absque eorum opera nequeant vivere. 5° Ut non sint supra vires suas debitis gravati, nec reddendis rationibus obnoxii. 6° Cum iis qui matrimonio consummato iuncti sunt, observentur Regula ac leges Ecclesiae. 7° Qui infectus erit lepra, comitali morbo, vel alia contagiosa aut incurabili infirmitate, non recipiatur; et si quis huiusmodi fuerit receptus, quia interrogatus id non manifestavit, declaratur, quod Religio ad eum retinendum se obligare non intendit. 8° Novitius noster qui fuerit demissus, tantummodo recipi possit ob graves rationes a Ministro illius Provinciae unde discesserit eiusque Definitorio approbandas, modo tamen nullum patrarit scandalum, nec plus quam semel discesserit. 9° Nullus Candidatus recipiatur inter Clericos, nisi praemisso accurato examine circa studia litterarum. 10° Candidati Laici sint iuvenes honesti, pii, in doctrina christiana sufficienter instructi <sup>1</sup>, ordinaria saltem solertia et intelligentia praediti et ad labores habiles. 11° Qui apostataverit ab alia quavis Religione, nullo pacto recipiatur. 12° Qui vero habitum religiosum in alio Ordine vel Congregatione susceperunt, praesertim si in illa professionem emisierint, rarissime recipiantur et non nisi de consensu Definitorii Provincialis. 13° Qui recipiendus est in Clericum, habeat saltem decimum quintum annum completum <sup>2</sup>, qui vero

<sup>1</sup> Clem. VIII, *Cum ad Regularem*, 19 Mart. 1603.

<sup>2</sup> Conc. Trid. Sess. XXV, *de Regul.*

in Laicum, habeat annos viginti completos <sup>1</sup>; neque recipiatur quisquam qui excesserit annos quadraginta quinque, nisi de tali receptione magna in populo sequeretur aedificatio. 14<sup>o</sup> Candidati non recipiantur ad habitum sine litteris testimonialibus Ordinarii, tum originis, tum loci, in quo postulantes post expletum decimum quintum annum aetatis, ultra annum morati fuerint <sup>2</sup>.

3. Et si quis Ministrorum Provincialium quemlibet Novitium ad habitum admiserit contra praedictas Ordinationes, volumus quod in Capitulo sequenti mulctetur disciplina, ultra poenas in dictis Constitutionibus Apostolicis contentas, in quas quidem ipsi incidisse intelliguntur, qui receperint aliquem contra formam in dictis Constitutionibus assignatam.

4. Determinatur praeterea, quod illi, qui ad hanc vitam recepti fuerint, priusquam habitum suscipiant, in aliquo nostro conventu probentur, per aliquot dies, in omnibus iis quae a Fratribus observantur; ita ut eorum innotescat bonum desiderium, et ipsi tantum opus cum maiori lumine, maturitate ac deliberatione amplectantur: quod etiam de Religiosis, qui voluerint ad Ordinem nostrum transire, intelligendum est.

5. Et quia sapientissimus Magister Christus iuveni, qui aeternae salutis desiderium exhibebat, imposuit, ut, si suus esse vellet discipulus, omnia quae habebat venderet daretque pauperibus, id quod Eius imitator Franciscus non solum observavit et exemplo docuit in se et in iis quos recipiebat, sed etiam in ipsa praecipit Regula: idcirco, ut nosmetipsos Domino et Salvatori nostro Iesu Christo ac Seraphici Patris

<sup>1</sup> S. C. Ep. et Reg. *Etsi Decretis*, 16 Maii 1675.

<sup>2</sup> Pius IX, 25 Ian. 1848.

voluntati conformemus, ordinatur Patribus Ministris Provincialibus, quod in recipiendo Novitios ipsis faciant cognoscere verbum sancti Evangelii, iuxta quod iubet Regula: quod vendant et vendant omnia bona sua, dentque pauperibus, si possint, ut sic maiori mentis quiete cordisque firmitate, se totos in perpetuum divino cultui possint dedicare. Et Fratres omnem occasionem fugientes sese intromittendi distributioni rerum Novitiorum maneant sinceri in pace Domini, et nequidem in minimo de his curantes <sup>1</sup>. Talis nihilominus priorum bonorum alienatio, postquam susceperint habitum, non permittatur Novitiis, nisi cum conditionibus quae continentur in Capite « *Nulla quoque renuntiatio* » <sup>2</sup>, et infra bimestre, quod professionem solemnem antecedit <sup>3</sup>. Per hoc tamen non prohibetur Novitiis facere testamentum, cum ipsis placebit, sicut declaratum est a Pio V sanctae memoriae et a S. Congregatione Concilii <sup>4</sup>.

6. Notetur in libro ad hoc destinato locus et tempus vestitionis, item nomen et cognomen saeculi et Religionis, patria, paternitas, maternitas ac aetas neo-vestiti, cum subscriptione Patris qui eidem habitum imposuit.

7. Ordinatur insuper quod vestimenta Novitiorum venientium a saeculo serventur sub clave usque ad diem professionis simplicis ipsorum, similiter etiam et Regularium: et si perseverent, ea quae sunt saecularium, pauperibus dentur, quae vero Regularium restituantur eorum Ministris Provincialibus.

8. Et ne nobis iuste obiiciatur illud quod Christus sanctissimus Scribis dixit et Pharisaeis: « *Vae vobis... qui cir-*

<sup>1</sup> Clem. V, *Exivi*, § *Caeterum*.

<sup>2</sup> Conc. Trid. Sess. 25, *de Regul.*, c. 16.

<sup>3</sup> S. C. super statu Regul., 1 Aug. 1862.

<sup>4</sup> S. C. Conc. 1578.

*cuitis mare et aridam, ut faciatis unum proselytum: et cum fuerit factus, facitis eum filium gehennae duplo quam vos* » <sup>1</sup>, determinatur: quod in omni Provincia Novitii collocentur in uno aut pluribus conventibus spiritui idoneis, ad id a Capitulo, vel extra Capitulum a Ministro et Definitorio Provinciali, designatis. Novitiatus domus Decretis Apostolicis sit conformis, praesertim Decreto Clementis VIII <sup>2</sup>. Vigeat ibi regularis observantia, diu noctuque, ac religiosa austeritas; saeculares ab ipsa arceantur et nonnisi Religiosi exemplares ibi collocentur.

9. Novitiis dentur Magistri prudentes, maturi ac in via Domini illuminati, qui eorum educationi religiosae, civili et urbanae, totis viribus incumbant. Quare diligentem curam habeant eos non solum caeremonias docendi, sed etiam ac praecipue ea quae pertinent ad spiritum, quam maxime necessaria ad Christi, nostrae lucis, viae, veritatis et vitae, veram imitationem. Ostendant illis exemplo et sermone, in quo consistat vita perfecti christiani verique Fratris Minoris. Monemus autem Superiores et Magistros, ut servent ea omnia quae, tum a praedicto Clemente VIII, tum ab aliis Pontificum Decretis praescripta sunt. Insuper maxime commendamus opus cui titulus *Speculum de disciplina*, in quo spiritus seraphicus solido fundamento practice docetur.

10. Confessarius ordinarius Novitiorum est Magister <sup>3</sup>. Concedantur tamen Novitiis quater aut plures in anno <sup>4</sup> Confessarii extraordinarii, a Superiore locali designandi <sup>5</sup>.

<sup>1</sup> Matth. xxiii, 15.

<sup>2</sup> Clem VIII. *Cum ad regularem*, 19 Mart. 1603.

<sup>3</sup> Clem. VIII, ut supra.

<sup>4</sup> S. C. Episc. et Reg. 8 Mart. 1897.

<sup>5</sup> Clem. VIII, ut supra.

11. Ut vero Novitii cum quiete, pace ac silentio melius in spiritu invalescant, nullus cum eis loquatur, excepto Patre Guardiano et eorum Magistro; nec ullus cellam eorum, nec ipsi vicissim cellam aliorum ingrediantur absque speciali licentia Magistri.

12. Regulares cuiusvis Ordinis et Sacerdotes saeculares habitu nostro induti, specialissima cura in Ordinis nostri spiritu et traditionibus instituantur, et omnibus legibus Novitiorum (et iuniorum infra quatuor annos constitutorum), salva tamen eorum dignitate sacerdotali, subiiciantur, neque ad praedicationem, vel ad sacras Confessiones excipiendas, durante anno probationis admittantur.

13. Laici Novitii, quantum possibile est, a dormitorio Clericorum separentur. In omnibus, sicuti Clerici, Magistro Novitiorum subsint, de christiana doctrina et vita spirituali instruantur, communibus colloquiis spiritualibus et instructionibus cum Clericis intersint<sup>1</sup>, eisque nullum officium primum communitatis committatur.

14. Et ad professionem non admittantur Novitii, nisi prius sciant ea quae vovere et observare debent: eapropter Magistri diligentiam adhibeant ut faciant eos addiscere, in ipso Novitiatus anno, totam Regulam, demonstrent ipsis quae sint ipsius Regulae praecepta, quaeve consilia et admonitiones, ostendantque eisdem, quae fuerit nostri Sanctissimi Patris circa Regulae observantiam intentio, ut anno expleto optime sciant quaenam erit in posterum eorum obligatio.

15. Porro in receptione Novitiorum, tum ad Religionem cum ad professionem, observentur modi ac ritus usitati nec non approbati in Ordine nostro. Nullus Novitius recipiatur

<sup>1</sup> Clem. VIII, *Cum ad regularem*, 19 Mart. 1603, XXI.

ad professionem absque assensu maioris partis Fratrum qui, per ultimos saltem quatuor menses continuo vel circiter, cum eo fuerint commorati. Idcirco Ministri Provinciales dicto temporis spatio nullum Novitium, professioni proximum amoveant a loco ubi Novitiatum egerit; quod si ob aliquam necessitatem oportuerit illum mutare, vel si ratione Capituli a dicto loco mutari familiam contigerit, ante talem mutationem faciant suffragia sumere. Iuniores vero, priusquam in Religione vota solemnia emiserint, suam dumtaxat opinionem dicant. Admoniti insuper habeantur Patres Ministri Provinciales, quod possint nullum recipere Novitium ad professionem citra scitum et consensum maioris partis Fratrum huiusce familiae, sub poena nullitatis. Votatio fiat ter a familia Novitiatus, secretis suffragiis, praemissa de qualitatibus admit-tendorum discussione.

16. Et quia secundum Doctores Novitii facientes debito modo professionem, innocentiae restituuntur baptismali: ordinatur, quod magna diligentia ad eandem sese praeparent spiritualibus exercitiis, pura Confessione, devota Communionem, ferventique oratione, facta iam generali Confessione in ingressu Religionis ad induendum novum hominem. Professivorum simplicium participes sunt omnium gratiarum et privilegiorum, quibus gaudent professi votorum solemnum <sup>1</sup>.

17. Novitius, ante professionem votorum simplicium, et pro tempore quo in eadem professione permanserit, cedere debet bonorum administrationem, usumfructum et usum, quibus ei placuerit, non tamen Ordini <sup>2</sup>. In vigilia vero professionis, in scriptis, a tribus testibus subsignatis, protestetur,

<sup>1</sup> S. C. super statu Regul. 12 Iul. 1858. VI.

<sup>2</sup> S. C. super statu Reg. 12 Iul. 1858. IX.



se libere et voluntarie professionem emittere velle, cognoscere seraphicam Regulam ac obligationes e sacra professione emanantes, liberum esse ab omni impedimento canonico et regulari, praesertim a debitis, a malo caduco ac morbo qualicumque contagioso, vel gravi et habituali, et se promptum ac paratum esse ad vitam communem observandam ac tenendam <sup>1</sup>. Ordinatur praeterea quod professio et aetas uniuscuiusque, professionis annus, mensis, dies ac hora, necnon profitentis patria, paternitas ac maternitas ab ipsomet profitente scribantur propria manu, si sciat scribere, sin autem per alium scribi faciat et propria manu signum Crucis apponat <sup>2</sup>, cum testimonio eorum, qui praesentes fuerint. Haec autem omnia diligenter sub clave in archivo tum conventus tum Provinciae serventur, ita ut, si opus fuerit, in promptu habeantur. Notentur prope a Ministro Provinciali in uno libello, quem singuli Ministri pro registro professionum habere curabunt.

18. Vota post Novitiatum emittenda, sunt simplicia <sup>3</sup>, sed perpetua ex parte voventis, utpote quae tendunt ad emittenda deinde vota solemnia post triennium. Solvi tamen possunt dispensatione Apostolica et dimissione ex parte Ordinis <sup>4</sup>, sed solummodo ob defectus morales qui sufficerent ad dimitendum Novitium ante professionem votorum simplicium <sup>5</sup>. Quae quidem facultas dimittendi ad Ministrum Generalem eiusque Definitorium spectat, et absque ullo processu ac formali iudicio exercetur, attamen Superiores in hoc gravissimo

<sup>1</sup> Sicut pro Italia praescripserat Pius IX, 22 Apr. 1851 et 1 Oct. 1852.

<sup>2</sup> Clem. VIII, *Cum ad regul.* § 35.

<sup>3</sup> S. C. super Statu Regul. 19 Mart. 1857 *Neminem latet.*

<sup>4</sup> S. C. super Statu Regul. 12 Iul. 1858.

<sup>5</sup> S. C. super Statu Regul. 15 Dec. 1893.

negotio, non nisi magna charitate, prudentia, circumspectione, et posthabita omni humana affectione procedant, ne velint suas conscientias graviter onerare <sup>1</sup>.

19. Ut iuvenes nostri, assuescant melius ferre iugum Domini, ordinatur, quod toto tempore studiorum a loco et conversatione communitatis separati maneant, omnino subsint disciplinae Magistri, qui sit eorum Guardianus, nisi specialis Director spiritualis pro moderatione iuvenum deputatus fuerit a Definitorio Provinciali, quo munere etiam fungi potest unus ex Lectoribus vel Praeceptoribus. Sub dicti Magistri vel Superioris directione Studiosi ea observent quae observant Novitii et quae Domino promiserunt, ac dicant culpam singulis diebus et disciplinam faciant unaquaque feria VI, nisi ex rationabili causa aliqua vice fuerint dispensati, ut non ita facile spiritum recenter acquisitum amittant, sed semper invalescentes progrediantur, firmiter altiusque in amorem Iesu Christi radices agant. Absolutis vero quatuor Religionis annis, dicant culpam feriis II, IV et VI.

20. Laici nondum solemniter professi observent omnia ad quae Studiosi infra quatuor annos tenentur, et collocentur in conventibus ubi viget regularis disciplina, ibique sub directione spirituali Laicorum Patris Instructoris, et quoad labores manuales sub instructione Fratris Laici solemniter professi vivant. Officium ianitoris vel quaestuarii eisdem ordinarie non committatur.

21. Guardianus cum Discretis, Directore spirituali et Lectoribus singulis annis, Ministrum Provinciale informent de professorum simplicium vita, moribus, applicatione in studiis, vel laboribus; et quos vident in actibus suis non respondere

<sup>1</sup> S. C. super statu Regul. 12 Iul. 1858.

gratiae vocationis religiosae non compellant, ut ipsi dispensationem Apostolicam de emissis votis postulent, sed dimittantur.

22. Qui admittuntur ad vota solemnia, infra duos menses ante ipsa, de rebus suis temporalibus in Domino disponant, abdicato etiam dominio radicali, nihilo sibi reservato. Ad professionem autem emittendam sese exercitiis spiritualibus diligenter praeparent. Immediate autem ante professionem coram Superiore et duobus testibus iurent et contestentur, se ad omnia observanda quae iam in professione simplici promiserunt, praesertim quoad vitam perfecte communem, toto tempore vitae suae paratos esse <sup>1</sup>. Haec professio, de licentia Ministri Provincialis emittenda, in libro ad hoc destinato, a profitente et testibus, ut supra de professione votorum simplicium dictum est, adnotetur.

23. Potest professio sollemnis ex iustis causis a Ministro Generali vel Provinciali differri ad 25 aetatis annum <sup>2</sup>, sed non ultra <sup>3</sup>. Votatio ante hanc professionem non est de praeepto, quod si fiat, consultiva est, et non decisiva <sup>4</sup>.

24. Quia vero non absque causa Salvator noster austeritatem commendavit vestitus S. Ioannis Baptistae, quando dixit: « *Qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt* » <sup>5</sup>, idcirco ordinatur ut Fratres, qui elegerunt abiecti esse in domo Dei, pannis induantur vilioribus et rudioribus, qui commode haberi poterunt in ea qua degunt Provincia. Et recordentur Fratres, quod sacci quibus S. Franciscus nostros re-

<sup>1</sup> Pius IX *Neminem latet et Universalis Ecclesiae*.

<sup>2</sup> Pius IX *Neminem latet* 19 Mart. 1857.

<sup>3</sup> S. C. super statu Regul. 16 Aug. 1866.

<sup>4</sup> Eadem S. C. 7 Febr. 1862.

<sup>5</sup> Matth. xi, 8.

sarciri habitus, et chordae, quibus nos cingi voluit, minime pretiosis vestibus mundique divitibus conveniunt.

25. Hortamur insuper omnes Fratres, ut uno habitu solo, si valeant, contenti sint, quemadmodum noster Pater in suo Testamento de seipso et primis suis Fratribus expressit, cum ait: « *Et eram contenti tunica una intus et foris repetiata.* » Nihilominus si Fratres voluerint, secunda illis iuxta Regulam concedatur tunica <sup>1</sup> sine caputio. Usus pallii licitus est, iuxta Provinciarum consuetudinem.

26. Et ut paupertas adeo dilecta a Dei Filio, et a Seraphico Patre nobis in matrem tradita, resplendeat in omnibus quae nobis in usum cedunt, ordinatur, ut pallia non excedant extremitatem manuum, careantque caputio. Habitus longitudine parum excedant iuncturam pedum, latitudine ordinarie viginti novem decimetra habeant; manicae non sint largiores quam ad inducenda et educenda brachia fuerit necessarium, et ad mediam manum vel paulo plus longitudine pertingentes. Tunicae vel sudariola, sint simplicia, ex lana tantum confecta. Caputium sit acuminatum, cuiusmodi fuisse conspiciuntur ea S. Francisci eiusque Sociorum, quae pro reliquiis in mundo adhuc asservantur, ac prout in antiquis picturis videre licet; ita ut habitus noster Crucis formam prae se ferat, et inde compertum habeamus nos mundo crucifixos esse, nobisque mundum. Cingulum nostrum sit funis, cum simplicissimis nodis, sine ulla curiositate vel singularitate, ut a mundo despecti, occasio nobis detur maioris subeundae mortificationis. Nec deferant Fratres galeros; permittitur tamen Sacerdotibus, qui studia absolverunt, usus modesti pileoli, iuxta Provinciarum consuetudinem, non tamen Fratribus Laicis, nisi ex ne-

<sup>1</sup> Nicol. III *Exiit* § *Licet*, et Clem. V *Exivi* § *Praeterea*.

cessitate et licentia Superioris. In stropholis et braccis nihil a paupertate alienum admittatur.

27. Invigilent Superiores ne Fratres aliis vestimentis praeter enumerata utantur, ut in Provinciis vigeat uniformitas quoad formam, materiam et colorem; et contra eos agant, qui sine vera necessitate ac licentia lineis indumentis vel similibus utuntur.

28. In quavis nostra domo sit cella, in qua, ab aliquo Fratre ad id deputato, conserventur panni communitatis mundi et resarciti pro necessitatibus pauperum Fratrum, qui, postquam iis usi fuerint, iuxta suam necessitatem, mundandos et resarciendos eos cum humili gratiarum actione ipsi restituent.

29. Et ut lectuli nostri consimiles sint ei, super quem expiravit Ille qui dixit: « *Vulpes foveas habent et volucres coeli nidos, Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet* »<sup>1</sup>; ut simus adhuc vigilantiores magisque solliciti ad orationem, et conformes S. Patri nostro Francisco, cui nuda humus frequenter pro lectulo fuit, quinimo et Christo Sancto Sanctorum, qui eodem lecto usus fuit in aspero deserto; ordinatur, quod Fratres ordinarie super stramineo sacco dormiant. Verum, si iuvenes robustiores, maioris austeritatis studio, super storea tantum vel in nudis tabulis quiescere voluerint, hoc facere poterunt cum licentia Superiorum, dum id illis non obfuturum videbitur. Nemo autem sine habitu cum caputio dormiat.

30. Praeterea, secundum evangelicam doctrinam, et ad veterum nostrorum Patrum imitationem, gestare poterunt sandalia, cum haec non sint calceamentum, sed simplicia, vilia

<sup>1</sup> Matth. VIII, 20.

et paupertati conformia, absque ulla curiositate. At, si qui iuniorum Fratrum, Christi Domini exemplo, in signum humilitatis, in argumentum paupertatis, in mortificationem sensualitatis, et in proximi aedificationem, nudis pedibus voluerint incedere, vadant cum benedictione Domini et licentia Superioris, non tamen extra domum, nec in ecclesia.

31. Et ut ad summum altissimae paupertatis, sponsae Christi Domini nostri et Seraphici Patris, matrisque nostrae dilectissimae, fastigium ascendere valeamus, hortamur omnes Fratres, ut non habeant aliquem affectum in terris, sed suum semper amorem dirigant ad coelum, terrenis rebus utentes, quasi coacti, quam parcissime, prout permittit illorum fragilitas, existimantes sese divites thesauro sanctae paupertatis. Recordentur insuper, quod secundum Seraphicum Patrem, Frater Minor nihil aliud esse debet, quam speculum omnium virtutum, maxime paupertatis.

32. Tonsura saltem semel in mense fiat. Fratribus Laicis crines simpliciter tondantur. Et deferatur barba ad exemplum Christi sanctissimi et Patrum nostrorum antiquorum, non tamen nutriatur.

33. Et ne quispiam Fratrum daemonis instigatione, solitudinem et quietem nostram odio habens, ad Aegypti carnes, unde prius liberatus fuerat, revertatur, et ut conformemur iis, quae in secundo capite Regulae habentur: quod nullo modo liceat Fratribus, facta professione, de ista Religione exire, egressum Fratrum ex Ordine Superiores magna prudentia et charitate paterna impedire satagant.

34. Si quis autem Indultum saecularizationis, etsi ad tempus, obtinuerit, Ordinis bonis et privilegiis privatus declaratur, et ipso facto omnimodae iurisdictioni Episcopi subiicitur, quamdiu in saeculo manet. Perpetuo saecularizati numquam

in Ordine de novo recipiantur. Quoad saecularizatos ad tempus ordinamus: ut inhabiles sint in perpetuum ad omnem Superioritatem et ad officia Vicarii, Lectoris, Magistri, Praeceptoris, Discreti etc. Insuper antianitatem deperdant iuxta tempus quo extra claustrum extiterint.

35. Apostatae declarantur ipso facto excommunicati, et inhabiles in perpetuum ad quamlibet praelaturam, omneque Ordinis officium. Nihilominus ut etiam ispis ianua misericordiae relinquatur aperta, et ut invitentur ad poenitentiae regressum, ordinamus, quod qui vere poenitentes voluerint redire, possint recipi a Ministro Provinciae suae cum poenitentiis quae in nostro *Modo procedendi* designantur. Apostatae scandalosi et incorrigibiles expellantur. Apostatae vero votorum simplicium, dimittantur ab Ordine.

36. Et quoniam iuxta Decretum Concilii Tridentini <sup>1</sup> Fratribus non licet recedere a loco suo, vel conventu, etiam sine animo apostatandi, sub praetextu adeundi suos Superiores, nisi ab iisdem missi vel cum eorum obedientialibus litteris vocati fuerint, (sine quibus qui reperiuntur possunt ab Ordinariis, tamquam desertores proprii Ordinis puniri); determinatur quod, quicumque Fratrum, quovis praetextu contrafecerit, quamvis minimo etiam temporis spatio, habendus est ut apostata et puniendus, pro qualitate culpae, iuxta nostrum *Modum procedendi*.

37. Superiores, cum prudentia simul et charitate, atque causa proportionata, agant in concedendis litteris obedientialibus Fratribus pro itineribus instituendis. Unde sequentia statuimus: Nemini fas est iter instituere absque licentia Superioris. Guardianus potest licentiam oretenus concedere

<sup>1</sup> Sess. 25, De Regul. c. 4.

adeundi proximum districti sui conventum; Provincialis vero dat obedientiales litteras ad conventus Provinciae, et extra Provinciam ad conventum Provinciae limitrophae, dummodo non plus quam centum kilometra a finibus distet. Petuntur obedientiales litterae a Guardiano ad Provinciale et a Provinciali ad Generalem, et ad ipsos remittuntur. Obedientiales litterae sigillo respectivi Superioris sint munitae; ideo quilibet noster conventus non omittat proprium habere sigillum, iuxta iam antiquam Religiosorum consuetudinem. Qui sine litteris obedientialibus accedunt, nisi noti sint, non recipiantur; et qui litteras obedientiales vitiarunt aut falsas sibi procuraverunt, poenas apostasiae ac casus reservati incurrunt. Qui vero utuntur obedientialibus litteris ad instantiam exterorum subdole obtentis, maneant absque voce activa et passiva per triennium, et declarantur subiecti poenis canonicis contra recurrentes extra Ordinem.

38. Nemo alienae Provinciae incorporari, et facta incorporatione, in maternam Provinciam reverti potest, priusquam ipse consensum utriusque Capituli Provincialis obtinuerit et licentiam a Ministro Generali. Declaratur praeterea quod incorporatus ad officia promoveri non potest nec concurrere ad electiones, nisi post septennium laudabiliter transactum.

### CAPUT III.

1. Quoniam Seraphicus Pater noster, totus catholicus et apostolicus ac divino illuminatus Spiritu, reverentiam semper habuit specialem in Romanam Ecclesiam, utpote iudicem ac Matrem aliarum omnium Ecclesiarum, unde mandavit in Regula, quod Clerici faciant divinum Officium iuxta huius Ecclesiae ordinem, ac in suo Testamento prohibuit ne aliquo



modo ipsum variarent: determinatur, quod Fratres, sub uno eodemque vexillo in spiritu uniti, et ad unum eundemque finem vocati, eosdem etiam ritus quoad Missale, Breviarium, Calendarium, Caeremoniale et Rituale observent, quos observat et quibus utitur Sancta Romana Ecclesia. Et hortamur omnes Fratres, ut Caeremoniale Romano-Seraphicum, ad specialem Ordinis nostri usum, anno 1892, a S. Rituum Congregatione revisum, ac de licentia eiusdem S. Congr. editum, observetur, ut ita apud nostram Religionem resplendeat spiritus uniformitatis, et ipsi Fratres uno corde et cum caeremoniarum unitate laudent et glorificent Deum ac aedificationem praestent universo mundo.

2. Ordinatur etiam, ut Clerici et Sacerdotes, Superiores ac subditi, qui non erunt legitime dispensati vel impediti, audito primo signo campanae, pro divino Officio, aliisque sacris functionibus quae habeantur uti actus communitatis, cum promptitudine ad chorum conveniant, ut suas Domino mentes praeparent, ibique cum devotione, modestia, mortificatione, quiete, et silentio recogitent, quod sint in conspectu Dei, ubi munus angelicum in divinis laudibus persolvendis assumpturi sunt. Si quis necessitate praepeditus choro interesse nequeat, antea aut postea benedictionem Superioris petat.

3. Divinum autem Officium, dicatur cum omni debita devotione, attentione, gravitate, conformitate vocum et spiritus consonantia, absque caudis vel biscantu; cum debitis pausis, voce nec nimis elata nec nimis demissa, sed mediocri. Et contendant Fratres psallere Deo magis corde quam ore, ne ipsis exprobrari possit id quod dulcissimus Salvator de Hebraeis dixit: « *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me* »<sup>1</sup>. Matutinum et Laudes media nocte

<sup>1</sup> Isaias xxix, 13. — Matth. xv, 8. — Marc. vii, 6.

dicantur, exceptis Octavis SS. Sacramenti et Immaculatae Conceptionis, et Triduo mortis Domini.

4. Laici ad chorum convenient initio Vesperarum, Completorii et Matutini, ad *Te Deum laudamus* vel ad *Miserere*, item ad preces ac Litanias Lauretanis post Completorium, et facta communi praeparatione, inchoato Officio, recedere poterunt in ecclesiam vel in alium convenientem locum ad id destinatum, ut dicant *Pater noster* quos ipsis imponit Regula. In omnibus autem dominicis et festis diebus convenient ad Vesperas. Et dicant sua quinque Officia defunctorum pro benefactoribus, scilicet secundum antiquam consuetudinem, primum circa festum S. Mariae Magdalenae, secundum circa festum S. Michaëlis mense Septembri, tertium circa festum S. Francisci, quartum in Adventu, et quintum in Septuagesima.

5. In choro, quando non occurrit Officium novem lectionum, et rubricae Breviarii hoc praescribunt, dicatur Officium parvum B. Virginis, Defunctorum, pariter psalmi Graduales ac septem Poenitentiales cum Litanis.

6. Et quoniam celebrare est actus summopere divinus, adhortamur Sacerdotes ne in celebrando mentis obtutum conversum habeant ad favorem et gloriam humanam, vel ad rem quamlibet temporalem, sed cum simplici, puro et mundo corde solum attendant divino honori: celebrantes ob meram charitatem, cum omni humili reverentia, fide et devotione. Sese autem praeparent, quantum eorum fragilitas patitur, cum in sacris Litteris *maledictus* declaretur *ille qui opus Dei fraudulenter agit*<sup>1</sup>; et actus huiusmodi prae caeteris totus divinus, summopere displicet Deo dum irreverenter

<sup>1</sup> Ierem. XLVIII.

peragitur. Qua de causa ordinamus, ut Superiores corrigant illos, qui praepropera festinatione delinquant in celebratione Missae, et emendatione non secuta, puniant. - Nec curent recipere pro celebratione aliquod pretium in terra, ad exemplum Iesu Christi summi Sacerdotis, qui, sine ulla sua mercede temporali, pro nobis sese obtulit in dura Cruce; sed hinc potius sese agnoscant maiori cum Deo obligatione obstrictos. Nullum Missarum stipendium accipiatur, quod non habeat rationem merae eleemosynae et statui professionis nostrae sit conformis.

7. Missa conventualis Officio diei conveniens quotidie celebretur, eique omnes, qui non sunt legitime impediti, intersint. Applicetur pro Fratribus et benefactoribus vivis atque defunctis, nisi alia adsit necessitas, a P. Provinciali approbanda.

8. Et quia merito gloriamur de devotione Ordinis nostri erga B. V. M., sine labe originali conceptam, hortamur nostros Sacerdotes, ut privilegio celebrandi Missam votivam de Immac. Conceptione B. V. M. in Sabbato pro viribus utantur <sup>1</sup>.

9. Diebus festivis Clerici et Laici conveniant ad omnes Missas quas poterunt audire. Et exhortamur omnes ut frequenter in Missa, Officio et orationibus recordentur orare Deum pro omnibus fidelibus, non tantum vivis sed etiam defunctis, eo quod noster Pater Seraphicus specialem huius rei mentionem facit in Regula. Insuper hortamur Fratres qui celebrationi Sacerdotum intererunt, ut cum summa reverentia et angelica mente divino huic mysterio in conspectu Dei assistant, contententes spirituali modo celebrare et communicare, et cum ipsis illud Deo gratissimum suum offerre sacrificium.

<sup>1</sup> S. R. C. 14 Iun. 1866.

10. Cum nihil sanctius sit nihilque augustius Missae sacrificio, nullaque res meliori indigeat mentis et cordis praeparatione ac dispositione, fidelissime servantur praescriptiones S. Sedis, quibus determinatur, ut nullus Clericus ad Subdiaconatum promoveatur ante annum vigesimum secundum incoeptum <sup>1</sup>, et nisi professionem solemnem emisit <sup>2</sup>, et primum S. Theologiae annum complete finierit; nec ad Diaconatum ante vigesimum tertium, expleto secundo anno cursus Theologiae; nec ad Sacerdotium ante vigesimum quintum, completo S. Theologiae anno tertio <sup>3</sup>. Et nullus Clericus ad Presbyteratum promoveatur, nisi praeter bonum spiritum sufficienti saltem praeditus sit intelligentia.

11. In dimittendis autem ad Ordinationes Clericis, Ministri Provinciales observent Decretum S. Congregationis Concilii Tridentini: nimirum, ut eos mittant ad Episcopum dioecesis in qua sunt de familia, et non ad alios, excepto casu, quo Episcopus dioecesanus absens foret, vel nollet Ordinationes habere; tunc siquidem poterunt illos mittere ad alios Episcopos. Dimittendo autem ipsos ad alios Episcopos expressam mentionem faciant in litteris obedientialibus de absentia vel de impedimento Episcopi dioecesani, obtenta et allegata etiam expressa declaratione Ordinarii, vel Vicarii Generalis, aut Secretarii Episcopi, quod Episcopus dioecesanus Ordinationes tunc non habet <sup>4</sup>. Ad Ordinationes autem singuli praeparentur spiritualibus exercitiis.

12. Quoniam vero sancta oratio est nostra spiritualis magistra, mater ac nutrix omnis verae virtutis: ideo, ne devo-

<sup>1</sup> Conc. Trid. Sess. XXV, c. 12.

<sup>2</sup> S. C. super statu Reg. 12 Iul. 1858.

<sup>3</sup> Decr. *Auctis admodum* S. C. EE. et RR. 4 Nov. 1892.

<sup>4</sup> Bened. XIV, *Impositi Nobis*, 1747.

tionis spiritus, prae cunctis aliis rebus peroptabilis, in nobis minuatur aut tabescat; quin potius, ardendo assidue supra sacrum nostri cordis altare, magis magisque semper incandescat, uti in votis erat Seraphico Patri nostro: tametsi verus et spiritualis Frater Minor quocumque tempore interius oret, nihilominus ordinatur, quod ad hunc finem duae particulares horae deputentur: una tempore matutino et altera vespertino, iuxta horarium uniuscuiusque Provinciae. Huic orationi mentali omnes Fratres interesse tenentur, nisi legitime sint exempti vel impediti. Superiores admoneant negligentes, et eos puniant, si in contumacia perstiterint.

13. Meminerint porro Fratres nihil aliud esse orare quam corde Deum alloqui; unde revera non orat, qui ore tenus solum Deo loquitur; eapropter unusquisque eorum contendat magis orationem facere mente quam voce, et iuxta doctrinam Iesu Christi, optimi Magistri, aeternum Patrem *in spiritu et veritate*<sup>1</sup> adorabunt; diligentem curam habentes magis illuminandi mentem affectumque accendendi, quam depromendi verba. In choro non adiungatur aliud Officium, ut sic Fratribus plus temporis suppetat attendendi orationi privatae ac mentali, quae longe fructuosior est quam vocalis. Litaniae tamen Sanctorum primo mane, Antiphonae post Completorium, ac Litaniae B, M, V. vespere nunquam in choro omittantur.

14. Et quoniam S. Pater noster totus catholicus voluit, quemadmodum liquet in principio et fine Regulae, ut Summo Pontifici Fratres specialem haberent reverentiam, uti Vicario Iesu Christi Domini nostri, similiterque omnibus Praelatis et Sacerdotibus, ordinatur, quod praeter communes orationes,

<sup>1</sup> Ioan. iv, 25.

quilibet Fratrum in precibus suis privatis et particularibus divinam imploret bonitatem, pro felici statu militantis Ecclesiae et pro Pontifice Maximo, ut ipsi det Deus gratiam qua valeat perspicaciter agnoscere, efficaciter velle, et potenter operari omnia quae conferunt ad honorem et gloriam suae divinae Maiestatis, ad salutem populi christiani necnon ad haereticorum et infidelium conversionem. Idipsum praestent pro omnibus Eminentissimis Dominis Cardinalibus, Reverendissimis Episcopis et Praelatis eidem Summo Pontifici immediate subiectis; omnibus Regibus et Principibus christianis; et quavis persona, maxime pro Superioribus et benefactoribus nostris, quibus speciali obligatione obstringimur.

15. Fratres Clerici et Laici communicent saltem bis in hebdomada per totum annum, vel etiam pluries, iuxta laudabiles Provinciarum consuetudines et iudicium Superioris. Et attendant, iuxta monitum Apostoli, ut sese praevis serio examinent, perpendentes ex una parte suam inanitatem atque indignitatem, et ex alia nobilissimum donum Dei, nobis tanta charitate concessum; ne illud in animae suae detrimento accipiant, sed potius cum luminis, gratiae et virtutum incremento. Hoc etiam altissimum et divinissimum Sacramentum, in quo dulcissimus Salvator noster adeo suaviter nobiscum continuo dignatur habitare, in omnibus ecclesiis nostris asservetur in loco mundissimo, et ab omnibus habeatur in summa reverentia; in cuius conspectu adstent et orent Fratres, haud secus ac si in patria coelesti simul cum sanctis Angelis diversarentur.

16. Semel saltem in hebdomada Fratres Laici ac conventui inservientes separatim ab aliquo Patre designato, in doctrina christiana, Laici etiam in praeceptis Regulae, et doctrinis vitae monasticae instituuntur, similiter et Clerici a

Lectore vel Directore spirituali. Neque ipsi Superiores locales negligant aut omittant spirituales instructiones religiosis familiis aliquando habendas. Statutis autem diebus confessionem culparum patienter audiant, delinquentes paterna charitate corrigant, ac emendatione non secuta puniant.

17. Provideant Superiores, etiam illi exterarum Missionum, ut exercitiis spiritualibus, quae singulis annis in conventibus nostris fiunt, omnes Religiosi, etiam illi, qui in hospitibus degunt, perfui possint. Qui hisce exercitiis intervenire nequiverit, eadem postea, cum benedictione Superioris, privatim peragat.

18. Probe scientes quod silentium sit fidelis concepti spiritus custodia, et quod iuxta S. Iacobum *vana sit religio eius qui non refrenat linguam suam*<sup>1</sup>, ordinatur: ut semper quantum nostra fert fragilitas, evangelicum servetur silentium, memoria retinentes, quod, ut infallibilis veritas Iesus Christus ait, *de omni verbo otioso rationem reddituri simus in die iudicii*<sup>2</sup>. Tanta profecto divinorum beneficiorum in nobis divino cultui consecratis et dedicatis est copia, ut non exiguus habeatur defectus, si verbum ab ore nostro de mundanis rebus absque necessitate excidat.

19. Quantum vero attinet ad silentium regulare, perpetuum sit in ecclesia, in choro, in sacristia, in dormitorio, in cellis et officinis, quibus in locis sine necessitate non sit licitum loqui, et si loqui necesse fuerit, id fiat submisse et cum brevitate. In refectorio autem servetur silentium a primo mensae signo usquedum gratiae actae erunt. Nullus Superior localis in eo dispensare potest ad suum beneplacitum, nisi

<sup>1</sup> Iacob. I, 26.

<sup>2</sup> Matt. XII, 36

raro et singularis utilitatis causa; et valde reprehendendus ac tempestive corrigendus, qui sine ratione sufficienti propriam religiosam familiam silentio et lectione privat.

20. Et generatim in omni loco nostro servetur silentium rigorosum a sero, dato statuto tempore signo, usque post Missam conventualem sequentis diei, et post prandium, finita hora recreationis, usque ad Vesperas; qui vero notabiliter ipsum interruperit, dicat in refectorio quinquies *Pater noster* et *Ave Maria* brachiis in crucis modum expansis. Conversatio fraterna communis post prandium habeatur per dimidiam, circiter horam, sicut et in sero iuxta Provinciarum horarium. Modesta sit haec conversatio et regulis religiosae educationis conformis. Conversentur Patres cum Patribus, Fratres Clerici cum Clericis, Laici cum Laicis, et Novitii cum Novitiis, quando etiam et ipsis recreari concedatur. Et admoniti sint omnes Fratres, ut assuescant semper et in omni loco religiose loqui et absque clamore; contrarium enim est in viris religiosis vitium valde deforme. Saeculares, quantum possibile sit, a conventibus nostris arceantur; quodsi conventus nostros visitent, a conversatione Fratrum in cellis, in officinis, longe habeantur.

21. Locutoria ubi sunt, secundum paupertatis et urbanitatis regulas ordinata sint et ita disposita, ut scandalum et populi admiratio evitentur. Nec unquam permittatur, ut sacristiae aut alia loca, directe vel indirecte divino cultui dedicata, in locutorium inserviant. Superiores locales sedulam curam habebunt, ne Fratres, praesertim iuniores, nimis frequenter, aut tempore divini Officii, recreationis aut serotino, ad locutoria accedant.

22. Insuper ne corpus nostrum recalcitret contra spiritum, sed eidem in omnibus obsequatur, et in recordationem acer-



bissimae passionis, et speciatim saevissimae flagellationis nostri dulcissimi Salvatoris, ordinatur, quod consueta disciplina, scilicet feriis II, IV et VI, non omittatur, etiamsi habeantur magnae solemnitates, fiatque post Matutinum, excepto si foret frigus intensum, tuncque vespere fiat, vel alio tempore, iuxta horarium Provinciae. In Hebdomada Sancta fiat qualibet nocte. Fratres autem sese flagellantes recogitent cum pio cordis affectu suum dulcem Iesum, Dei Filium, columnae alligatum, particulam dolorum eius experiri in se adnitentes, et dicant interea: Psalmos *Miserere* et *De profundis* et Antiphonam *Christus factus est pro nobis obediens* cum Oratione *Respice* et postea *Salve Regina* cum Versiculo, quinque devotas Orationes, et *Pater* et *Ave*.

23. Ad omnia autem evitanda, quae possent altissimam laedere paupertatem, quietem spiritualem et tranquillam humilitatem, et ad conservandam pacem cum aliis Clericis et Sacerdotibus, nec non ad omnem fugiendam labem, quae posset tractu temporis nostram contaminare Congregationem, ordinatur ut nostris in locis non recipiantur defuncti.

24. Prohibetur pariter construere sepulturas in ecclesiis nostris pro saecularibus; nostri vero Fratres sepeliantur in aliquo decentiori loco prope ecclesiam. Ideo ad hunc finem, ubi commode fieri potest, aliquod sacellum aedificetur ecclesiae contiguum vel propinquum, cum altari ad celebrandam Missam, et cum sepulchro pro Fratibus ibidem morituris; et advertatur, quod sepultura haec sub altari non disponatur. Ubi leges civiles sepulturas in locis nostris non permittunt, curent Superiores ut in coemeteriis publicis locum distinctum pro Fratibus obtineatur. Fratres vero, cum infirmos saeculares visitant, non modo caveant ne eos ad requirendam in nostris locis sepulturam indu-

cant, verum etiam hac de re rogati, illis nullo modo consentiant.

25. Defuncto aliquo nostrorum Fratrum, caeteri eiusdem Provinciae pio charitatis affectu solliciti sint eius animam Deo commendare; quilibet Sacerdos semel Missam pro eo dicat; Clerici Vigilias novem lectionum; Laici vero centum *Pater noster*. Et quovis anno, die post festum S. P. N. Francisci, vel si haec fuerit impedita, prima die libera, utpote tempus magis aptum et congruum ad flectendam divinam misericordiam pro liberatione animarum illarum per intercessionem Seraphici Patris nostri, celebretur ex charitate in universis ecclesiis nostrae Religionis anniversarium, tum Officii, tum Missarum, pro omnibus Fratribus nostris defunctis, eodem modo, ac in universa Dei Ecclesia celebratur anniversarium omnium Fidelium defunctorum post diem omnium Sanctorum.

26. Quoniam vero abstinentia, austeritas et asperitas summo opere in Sanctis laudatae sint; ideo, quia ad exemplum Christi Domini nostri et Sancti Patris nostri Francisci vitam elegerimus arctam, hortamur Fratres, ut, praeter ieiunia praecepta, observent sanctas Quadragesimas, praesertim Benedictam, quas ipse Pater noster solebat facere, (tametsi poenitens Frater semper ieiunet), neque collationes faciant excessivas vel superfluas. Insuper commendamus, ut Fratres, iuxta antiquam Ordinis consuetudinem, feria quarta, carnes non comedant. Ad frenandam ventris insatiabilitatem, non dentur ad mensam nisi cibi sufficientes, statui paupertatis nostrae consentanei, cogitentque Fratres, quod ad satisfaciendum necessitati parum sufficit, nil vero ad explendam sensualitatem.

27. Refectiuncula matutina singulis Fratribus, etiam Novitiis permittitur, et nonnisi statuta hora in refectorio vel

in alio loco communi sumatur. Ante et post refectiunculam, dicatur *Ave Maria*.

28, Praeterea, ne, iuxta doctrinam nostri sanctissimi Salvatoris, corda nostra crapula graventur et ebrietate, (quod maxime in Fratres Minore foret vitium detestabile), semper vero mentes nostrae sint sinceræ sensusque mortificati, ordinatur, ut ad mensam non apponatur vinum potens, quod non fuerit aqua moderate temperatum, idque nobis etiam pro sensualibus deliciis habendum est; cum revera, iuxta id quod S. Bonaventura narrat, Pater noster S. Franciscus ne aquam quidem audebat bibere quantum sat esset, ad mitigandum sitis ardorem, dicereque solebat, difficile esse satisfacere necessitati quin sensui obsequatur. Videbitur profecto Fratribus res dulcis, si recogitent, quod Christo Iesu Domino nostro in Cruce pendenti denegata fuit aqua, ipsique acetum et fel propinatum; et sanctus Hieronymus scribit, quod suo tempore Monachi, quamvis debiles, aquam bibebant: coctum vero quidquam manducare ab eis luxuria reputabatur. Nec in mensa speciale quidquam praebeatur, nisi Fratribus infirmis, senioribus et itinerantibus ac valde debilibus. Quod si quis abstinere voluerit a vino, carne, ovis aut aliis cibis vel plus solito ieiunare, si Superior id ei non obfuturum viderit, hunc minime impediat, sed potius ad proseguendum hortetur, modo tamen una cum aliis in mensa comedat. In signum autem paupertatis non fiat in mensis nostris usus mapparum, sed singulis Fratribus concedatur una tantum mappula.

29. Caveant vero Fratres ne quempiam saecularium cum Fratribus in refectorio comedere permittant, nisi absque scandalo gravique admiratione id non possent devitare; et tunc secundum consuetudinem in mensa legatur, debitae obser-

ventur caerimoniae, et modeste pro statu nostro eos pertractare satis ducant.

30. Nullus autem Fratrum praesumat sumere aliquam refectionem tam intra quam extra loca nostra, etiam in domo parentum vel propinquorum, absque licentia et benedictione Superioris.

31. Et quoniam, qui mundanis festis oblectatur, facile inquinatur, ordinamus, ne Fratres ad festa eant, nisi verbum Dei praedicandi aut alia servitia spiritualia praestandi gratia, ad exemplum Chsisti unici Praeceptoris nostri, qui invitatus ad festum noluit acceptare, dein vero ad praedicandum a seipso eo perrexit; memores quod secundum Paulum Apostolum <sup>1</sup> *spectaculum facti sumus mundo, Angélis et hominibus*: contendant itaque tale de seipsis praebere exemplum, ut per eos Deus glorificetur.

32. Ordinatur praeterea quod Fratres e domo soli ordinarie non exeant, praesertim recreandi causa, sed cum socio a Superiore designato <sup>2</sup>, ad discipulorum sanctissimi Salvatoris nostri exemplum, obtenta flexis genibus ante egressum et post reditum licentia et benedictione Superioris. In via ab invicem sese non separent, nec simul contendant verbis, sed unusquisque, cum omni charitate et humilitate, Christi benedicti exemplo, conetur, socio suo spiritualiter obedire ac servire, considerantes seipsos ut Fratres in Christo; et si opus fuerit, correctione fraterna utantur ad invicem, et emendatione non subsecuta, mutuos defectus Superioribus suis dicant. Et omnes Fratres contendant vanos et supervacaneos exitus devitare.

<sup>1</sup> I. Cor. iv, 9.

<sup>2</sup> Clem. VIII de Reform. Regul. *Nullus omnino* 25 Iun. 1599, xix et xxi.

33. Quia vero S. Franciscus in suo Testamento ait, sibi fuisse a Domino revelatum, quod salutando personas, deberemus ad exemplum Christi dicere: *Dominus det tibi pacem*<sup>1</sup>; ordinatur, ut Fratres hac evangelica utantur salutatione, aut alia pia et religiosa iuxta regionum consuetudinem.

34. Quum vero Fratres Minores ab optimo suo coelesti misericordiarum Patre viva fide pendere debeant, ordinatur: ut iter agentes iuxta consilium Christi provisionem ciborum secum non deferant, excepto casu necessitatis, praesertim itinerando per gentes domesticas, familiares ac devotas, et ab uno ad alium locum exiguae distantiae: relinquentes omnem sui ipsius curam Deo, qui non solum animalia pascit, sed eos etiam, qui continuo Illum offendunt.

35. Ordinatur etiam quod in civitatibus, vicis et oppidis, quibus propinqui sunt nostri conventus, Fratres extra conventus ipsos non consistant dormiendi vel manducandi causa, sine magna necessitate; et ubi sunt loca, nemo ire praesumat ad tractandum quodlibet negotium, nisi prius se praesentaverit Patri Guardiano vel Vicario loci; nec sine huius licentia quispiam praesumat ire peragendi negotii, manducandi vel dormiendi causa in domum saecularium, etiamsi sint suorum parentum. Hanc porre licentiam Superior non facile concedat; et idem intelligitur cum disceditur a loco; et qui contra egerit, jejunet pane et aqua, et disciplinam faciat.

36. Cum autem Fratres pervenerint ad conventus nostros, visitent, ut veri aeterni Patris filii, prius ecclesiam, ibique facta aliqua reverentia et oratione, sese praesentabunt Superiori, exhibentes ipsi suas obedientiales litteras.

<sup>1</sup> Matth. x, 12; Luc. x, 5.

37. Et quoniam nonnulli antiqui Patriarchae propter hospitalitatem meruerint recipere Angelos, ordinatur: quod in omni conventu deputetur Frater, qui diligentem habeat curam recipiendi advenas cum omni possibili charitate, quibus si ex itinere vel aliis de causis opportunum sit, ad exemplum humilis Filii Dei pedes abluet, recitando aliquem devotum hymnum vel psalmum. Fratres sese nihilominus semper inutiles reputent, tametsi fecissent quidquid sibi fuerit possibile.

38. Et ut expeditius per viam mandatorum Dei curramus, in locis nostris nullum habeatur animal ad equitandum, sed maxime commendamus religiosis nostris, ut memores nostrae Regulae de non equitando, et sequentes exempla Christi et S. P. N. Francisci, itinera pedestres conficiant. Si quis autem sine manifesta necessitate equitaverit, puniatur pro Ministri Provincialis arbitrato, iuxta qualitatem excessus. Quoad usum curruum vaporiferorum per se nobis licitum, non fiet sine necessitate et licentia Superioris, quando agitur de recursum ad pecuniam <sup>1</sup>.

#### CAPUT IV.

1. Seraphicus Pater noster Franciscus probe sciens secundum Apostolicam doctrinam, cupiditatem omnium malorum esse radicem, eamque volens e cordibus suorum filiorum prorsus extirpare, praecepit ipsis in Regula, ut nullo modo denarios, vel pecuniam per se vel per interpositam personam reciperent; quod ut melius in nostris mentibus imprimeret, (tamquam res quae ipsi maxime cordi erat), ter in ipsa Regula iteravit; Christus quoque Dominus noster dicebat: « *Ca-*

<sup>1</sup> S. C. super statu Regul. 19 Iun. 1863 et 21 Iul. 1876.

*vele ab omni avaritia* <sup>1</sup>. Idcirco nos, volentes plene et omnimode satisfacere pio Patris nostri a Spiritu sancto inspirati desiderio ac intentioni, ordinamus, ut Fratres nullo modo habeant procuratorem, aut aliam quovis modo denominatam personam, quae pro ipsis Fratribus, vel eorum nomine denarios vel pecuniam teneat aut recipiat, contra declarationem Nicolai III, in cap. *Exiit*, et Clementis V, in cap. *Exivi*. Sed Procurator noster sit Iesus Christus Dominus noster, substituta nostra ac advocata sit dulcissima Ipsius Mater, et omnes Angeli et Sancti sint amici nostri spirituales. Attamen nullo modo puritati Regulae repugnat, sicut declararunt Summi Pontifices, ut utamur Substituto, qui a benefactoribus approbatus, eorum nomine eleemosynas pecuniarias recipiat, conservet atque ad preces Superioris expendat; vel etiam Syndico Apostolico, a Ministro Generali vel Provinciali toties quoties designato, qui nomine S. Sedis Fratribus servitium praestat in casibus determinatis.

2. Fratres omnium rerum necessariarum usum, non dominium habere possunt; pecuniae vero nec dominium nec usum per se vel interpositam personam; neque contrectatio pecuniae vel denarii ipsis licita est quae non est mere naturalis, absque legitima dispensatione vel extrema necessitate. Qui ergo propria auctoritate denarios aut pecuniam procuraverit, receperit, in proprios aut aliorum usus converterit, et vel apud se, vel apud saeculares depositos habuerit, graviter praeceptum Regulae violat et poenas subeat contra proprietarios decretas.

3. Et quoniam altissima paupertas Christo Filio Dei eiusque humili servo Patri nostro S. Francisco sponsa fuit ca-

<sup>1</sup> Luc. xii, 15.

rissima, recogitare debent Fratres, eandem violari non posse, quin summopere Deo displiceant, et qui eam laedit, vere oculi Dei laedit pupillam. Solebat dicere Seraphicus Pater, quod veri Fratres eius pecuniae et denariorum non debent maiorem quam pulveris facere aestimationem; quinimo eadem fugere ac horrescere ad instar venenosi serpentis oportere. O, quoties pius Pater ac ardentissimus paupertatis amator, spiritu praevidens, permultos, evangelicam hanc margaritam relinquentes, relaxatos fore in recipiendis et procurandis legatis, haereditatibus et supervacaneis eleemosynis, eorum damnationem deploravit, dicens: *illum Fratrem perditioni proximum esse, qui pecuniam pluris quam lutum aestimaret.* Et ex ipsa experientia unicuique plane constare potest, quod, vix ac Frater quispiam sanctam a se repellit paupertatem, in omne aliud quodlibet vitium abominandum et enorme prolabitur. Quopropter contentur Fratres, ad exemplum Christi eiusque Matris dilectissimae, terrenarum rerum inopes esse; ut divites sint divinae gratiae, sanctarum virtutum, coelestiumque divitiarum; et prae omnibus caveant, ne visitantes aliquem infirmum, directe vel indirecte illum ad temporale quoddam nobis relinquendum inducant; quinimo id ultro facere volentibus, quantum iusto modo possint, obsistant; cogitantes, simul divitias et paupertatem possideri non posse. Nec accipiant legata contra Regulae declarationem a Nicolao III <sup>1</sup> et Clemente V <sup>2</sup> edictam.

4. Quoad recursum ad amicos spirituales ordinatur, quod, ut securius pretiosum hunc paupertatis thesaurum servemus, nullo modo ad eos recurratur, nisi pro rebus necessariis,

<sup>1</sup> Nic. III *Exiit* § Caeterum et § Et quia.

<sup>2</sup> Clem. V *Exivi* § Porro.



quae alio modo haberi non possunt, nec sine licentia legitimi Superioris, excepto necessitatis casu, cum ipsa res dilationem non patitur; ita ut in omni recursu habeantur semper et vera necessitas, et impetrata licentia.

5. Et quoniam ad hanc vitam ideo vocati sumus, ut nostrum hominem extrinsecum mortificantes, spiritum vivificemus, hortamur Fratres, ut assuescant penuriam mundi rerum tolerare, ad exemplum Christi, qui cum esset Dominus omnium, pro nobis praelegit pauperem esse et pati. Caveant inde Fratres a daemone meridiano, qui se frequenter in angelum lucis transformat. Quod utique tunc fit, cum mundus, devotionis gratia, terrenas commoditates praebendo nobis blanditur, quae maximorum saepe saepius malorum causa fuerunt in Religione; neque de numero illorum falsorum pauperum esse velint, de quibus devotus ait Bernardus: quod ita volunt esse pauperes, ut illis nulla res desit; sed recogitent potius evangelicam paupertatem in eo principaliter consistere, ut nullus habeatur affectus erga terrenam aliquam rem <sup>1</sup>, et ut parcissime huius mundi rebus utamur, quasi vi ac necessitate coacti, et ad Dei benedicti gloriam, cui omnia accepta referri debent.

## CAPUT V.

1. Considerantes quod noster ultimus finis solus Deus sit, ad quem unusquisque nostrum tendere et aspirare et in eum transformari niti debet, exhortamur universos Fratres, ut omnes cogitationes suas dirigant ad hunc finem, illucque omnes suas intentiones convertant nec non omnia sua desi-

<sup>1</sup> Clem. V *Exivit* § Ex praemissis.

deria, cum omni possibili amoris impetu; ita ut toto corde, mente, anima, viribus et virtute, cum actuali, continuo, intenso et puro affectu uniamur optimo Patri nostro.

2. Quia vero ad finem non pertingitur sine mediis, idcirco conetur unusquisque caetera quaelibet seponere quae tamquam inutilia et perniciosas nos a via salutis abducunt et praepediunt, eaque sola eligantur, quae utilia ac necessaria sunt ad tendendum in Deum; cuiusmodi sunt altissima paupertas, castitas immaculata, humilis ac prompta obedientia cum caeteris evangelici virtutibus, quas Filius Dei verbo et exemplo in semetipso et in Sanctis suis nos edocuit.

3. Verum, quoniam homini difficile est semper mentem in Deum habere erectam ad devitandum otium, omnis mali radicem, et ad bonum proximo dandum exemplum, ut mundo simus minus onerosi, et in hoc sequamur vas illud electionis Paulum Apostolum, qui praedicando manibus laborabat, aliosque permultos Sanctos; necnon ad observandum monitum laborandi, quod nobis dedit in Regula Seraph. P. N. S. Franciscus, ac demum ut hac in re conformemur expressae suae in Testamento voluntati: determinatur, quod ubi Fratres in exercitiis spiritualibus non occupantur, manibus laborent in exercitio quodam honesto, non tamen omittentes interim, quantum patitur humana fragilitas, mentem aliqua spirituali meditatione exercere. Ideo, ut iuxta Regulam laborent fideliter et devote, omnes Fratres semper honeste, pie et sancte occupati inveniantur. Sacerdotes labori, proprio ministerio conformi, studendo, praedicando, Confessiones audiendo, totis viribus incumbant, sub omnimoda Superioris dependentia; et qui impares reperiuntur ad spirituale ministerium, aliis laboribus, per Superiores prudenter designandis, ad spiritualem vel etiam temporalem conventus utilitatem, vacare non omit-

tant. Clerici sacris studiis vacent, ac Fratres Laici in curis domesticis, praesertim infirmorum, cultura hortorum, quaestu eleemosynarum, et similibus occupentur laboribus manualibus ac officiis a Superioribus ipsis assignandis. Et nullus Fratrum aliquod speciale officium aut servitium sibi reservet, sed in spiritu humilitatis et obedientiae illa faciat quae ipsi a Superioribus imponuntur.

4. Fratres ideo adhortamur, ut tempore quo laborant, semper vel sermonem de Deo cum humili et submissa voce habeant, vel devotus aliquis spiritualis liber legatur, quem omnes attente audiant cum omni modestia et charitate, vel servetur silentium. Et caveant Fratres ne in ipso labore sibi constituent finem, nec ullum in eo affectum ponant, neque tantum in eo occupentur ut spiritum, cui omnia servire debent, extinguant aut retardent; sed oculo semper in Deum erecto, per sublimiorem ac breviorum incedant viam; ita ut exercitium homini a Deo datum, et a Sanctis usu receptum et laudatum, ad conservandam spiritus devotionem, non sit causa distractionis vel indevotionis.

5. Caveant quaestuarii ne nimis frequenter saeculares visitent et inutiliter cum ipsis conversentur, unde non egrediantur nisi necessitas vel officium id postulent. Et tunc talis sit eorum agendi et loquendi modus, ut omnibus bonum exemplum praebentes, sibi et Religioni saecularium affectus concilient.

6. Nemo tamen negotiis saecularium se implicet, neque in officia aut exercitia statui nostro religioso parum conformia sese ingerat, ut exempli gratia munus pharmacopolae vel exercitium medicinae et chirurgiae extra Ordinem, quod exercitium Clericis a S. Canonibus prohibetur. Etiam Missionarii illud absque licentia S. Sedis, et nisi in eodem sint

valde periti, et necessitas urgeat, eo quod medicus desit, exercere non valeant; fiatque gratis et de licentia Superioris<sup>1</sup>. Simulque prohibetur, ne in nostris pharmaciis, aut implicite aut explicite, vendantur pharmaca.

7. Cum iuxta S. Bernardi effatum tempore nil sit pretiosius, nihilque vilius reputetur cumque idem S. Doctor moneat de omni tempore nobis concesso subtilius examinandos esse, qualiter illud transegerimus; ideo, exortamur omnes Fratres nostros, ne unquam otio indulgeant; neque tempus suum expendant in rebus nullius vel exiguae utilitatis, multo minus in vanis et inutilibus verbis, memores semper illius tremendae infallibilis Veritatis sententiae, quod scilicet de omni verbo otioso reddituri sumus rationem in die iudicii. Tempus ergo tam pretiosum expendant in laudabilibus, honestis utilibusque tum corporis tum spiritus exercitiis, ad honorem et gloriam divinae Maiestatis, ad aedificationem et bonum exemplum omnium proximorum nostrorum sive Religiosorum sive saecularium.

## CAPUT VI.

1. Seraphicus Pater noster S. Franciscus, altissimam recogitans paupertatem Christi, Regis coeli et terrae, qui, quoad habitationem, nascendo ne parum quidem obtinuit loci in diversorio vivendo tamquam advena in domibus alienis habitavit, ac denique moriendo ubi caput reclinare posset non habuit; perpendens insuper quantum in omnibus aliis rebus pauperrimus fuerit, ad eius imitationem, suis Fratribus in Regula praecepit, ne quidquam haberent proprium, ut expe-

<sup>1</sup> Bened. XIV, *Exponi Nobis*, 21 Iul. 1751.

diti, tamquam peregrini in terra et concives coelorum, per viam Dei cum ferventi spiritu decurrerent. Quapropter nos, in huiusmodi digno exemplo Christum in veritate imitari, et reipsa seraphicum de coelesti paupertate praeceptum observare volentes, notum facimus, nos nullam habere in effectu, neque in particulari, neque in communi iurisdictionem, dominium, proprietatem, iuridicam possessionem, usumfructum vel alicuius rei iuridicum usum, ne rerum quidem quibus ex necessitate utimur<sup>1</sup>, nec locorum in quibus hospitamur; adeo ut veri ac proprii eorum domini possint, quandocumque eis placuerit, nos eiicere ac pro suo libitū omnes res suas repetere. Ubi autem domini rerum suo iure renuntiarunt aut verbo aut facto, domina omnium rerum nostrarum est ipsa S. Sedes.

2. Quamvis autem nullum ius habeamus in res temporales, tamen nobis omnium rerum, tum ad vitam, tum ad officia status adimplenda, necessariarum simplex usus facti licitus est, et exceptis iis in quibus usus arctus est servandus, nobis usus moderatus concessus est, exclusis superfluis, curiosis et pretiosis.

3. Ad haec Fratres omnes in visceribus Christi obtestamur, ut vitam perfecte communem in omnibus, praesertim in iis quae ad victum et vestitum pertinent, iuxta Concilium Tridentinum<sup>2</sup> et Decreta pontificia<sup>3</sup>, ubique fideliter observent, nec unquam hac in re a quopiam dispensatio petatur. Ipsi Superiores cuiuscumque officii, gradus, vel dignitatis, primi zelatores sint, quia eorum exemplo stat ac regitur re-

<sup>1</sup> Nicol. III, *Exiit* § Porro.

<sup>2</sup> Sess. XXV.

<sup>3</sup> Clem. VIII, 25 Iul. 1599. — Pius IX, 22 Apr. 1851.

gularis observantia. Nullus Religiosus ergo quidquam sibi reservet de omnibus, quae ipsi quocumque titulo donantur vel obveniunt, sed omnia in communi conferantur, ut inde Superiores cum charitate et paterna sollicitudine Fratres omnes de necessariis vel statui nostro convenientibus providere possint. Quoad applicationem Missarum Superiores, iuxta usum Provinciarum, relinquunt aliquas intentiones liberas, quin tamen Fratres inde possint retinere vel praetendere stipendia. Ut autem vita communis in toto Ordine inviolabiliter servetur, statuimus et ordinamus: 1° Nullus Frater admittatur ad professionem sive simplicem, sive solemnem, nisi prius iuramentum emittat de vita communi servanda, cuius iuramenti attestationem ipse subscribere debet <sup>1</sup>. 2° Nullus cum voce activa vel passiva ad electiones quascumque concurrere possit, qui incuria vel mala voluntate vitam communem non servat <sup>2</sup>. 3° Non detur illis locus in conventibus Novitiatus, Professorii vel Studiorum. Curent propterea Superiores ut vita communis inter Fratres suos vigeat, et si collapsa est, restituatur, memores strictissimae rationis quam ipsi et Fratres in tremendo iudicio reddituri sunt de violatione voti paupertatis et praescriptionum S. Matris Ecclesiae.

4. Iuxta Constitutiones Apostolicas in omnibus conventibus habeantur duo consiliarii aut discreti, eligendi alter a Definitorio Provinciali, alter vero a Fratibus familiae conventus, solemniter professis; quorum munus erit: 1° Guardianis auxilium et consilium praebere in rebus spiritualibus et temporalibus. 2° Conferre cum P. Guardiano, et iudicare, de legitimitate causarum circa quaslibet expensas extraordinarias,

<sup>1</sup> S. C. Ep. et Reg., 1 Oct. 1852.

<sup>2</sup> Conc. Trid., Sess. XXV, c. 2.

quingenta libellas italicas seu francos excedentes. 3° Libros, tum introitus et exitus quam Missarum exacte et conscientiose quovis bimestri <sup>1</sup> examinare, et si rationes sint rectae, subscribere. 4° Certiorem facere P. Provinciam in S. Visitatione, vel antea, si casus urgeat, de minus rectis in administratione temporali. 5° Secretum circa revisiones et consilia servare.

5. Ordinatur praeterea, ut quando Fratres novum aliquem locum recipere voluerint, ultra consensum Capituli Provincialis, vel tempore intermedio Definitorii Provincialis, consultis Provinciae Guardianis, Ministri Generalis beneplacitum obtinere debeant. Tunc iuxta doctrinam humilis Patris S. Francisci primo vadant ad Episcopum, vel eius Vicarium, et licentiam petant, ut occupare possint talem locum in sua dioecesi; obtentaque tali licentia et benedictione, cum benefactoribus vel dominis Communitatis, de loco vel situ ad fabricandum convenient; insuper opportuno tempore canonicam erectionem conventus a S. Sede expostulent. Caveant autem ne locum aliquem accipiant, nisi cum obtestatione quod ipsis liceat illum dimittere quotiescumque expediens erit ob puram promissae Regulae observantiam, ita ut, si quandoque aliquem conventum deserere contingat, non praebeatur scandalum.

6. Et ad evitandam omnem deordinationem, determinatur, quod nullus locus relinquatur aut destruat, sine consensu Capituli Provincialis et licentia P. Generalis.

7. Et ut saeculares nobis uti valeant in rebus spiritualibus, nos vero eisdem vicissim in temporalibus, ordinamus, ut conventus nostri non accipiantur, qui sint a civitatibus,

<sup>1</sup> S. C. Ep. et Reg., 24 Ian. 1777.

oppidis vel pagis valde remota, nec, si fieri potest, intra muros seu in medio locorum, ne per nimiam saecularium frequentiam detrimentum patiamur, amando potius ad exemplum sanctorum Patrum, praecipueque Patris nostri, habitare in locis solitariis et tranquillis, quam in amoenis civitatibus.

8. Quoniam praeterea tamquam peregrini, ad antiquorum Patriarcharum exemplum, in humilibus locis et pauperibus aediculis debemus vivere, exhortamur Fratres, ut recordentur verborum Seraphici Patris in suo Testamento, in quo prohibet, ne ullo modo ecclesias vel habitacula recipiant, quae pro ipsis aedificabuntur, nisi sint iuxta formam altissimae paupertatis: quamobrem multo minus licitum est ipsis Fratribus talia extruere, vel consentire, ut sibi sumptuose construuntur. Neque debent Fratres Minores, ut complacent mundi dominis displicere Deo, Regulam praevaricari vel scandalizare proximum, simulque promissam evangelicam offendere paupertatem. Ingens sane debet esse discrimen inter magna divitum palatia et exiguas pauperum mendicantium, peregrinorum et poenitentium aedículas. Ordinatur itaque, ut non recipiantur ulla loca pro nobis aedificata, nec aedificentur, nec aedificari permittantur, nisi sanctissimae paupertati sint conformia, et iuxta decimetrum, mensuram in Ordine adoptatam, infra indicandam.

9. Ecclesiae nostrae sint parvae et pauperes, sed devotae, honestae et mundissimae; nec eas sub praetextu praedicationis aut magni concursus populi amplas, spatiosas ac ornatas habere velimus; quia omnium praedicationum melior est nostra sancta simplicitas et paupertas, et, (ut Pater noster aiebat) meliori sumus exemplo in alienis praedicando ecclesiis quam in nostris, maxime cum offensa sanctae pau-



pertatis. Ibi tantummodo una sit parvula campana pondere septuaginta vel circiter habens kilogramma.

10. Sacristiae nostrae sint pauperes, quae sub forti clave, a Fratре Sacrista professo caute conservanda, claudantur, modeste sed tamen sufficienter iuxta numerum Fratrum provisae sint calicibus, sacris paramentis, albis, pannis altarium, omnibusque aliis quae ad cultum divinum sunt necessaria; sintque omnia conformia, quoad materiam, formam, colorem etc. Decretis S. Rit. Congregationis <sup>1</sup>.

11. In paramentis et ornamentis nostris, etiam altarium, praeter Tabernaculum, quod intus deauratum, vel saltem serico albo contectum esse debet, quod pariter dicendum est de throno pro expositione SS. Sacramenti, non adhibeantur aurum vel argentum, nec aliae res curiosae vel pretiosae iuxta Clementinam <sup>2</sup>. Omnia vero sint nitida et munda, ac speciatim paramenta sacerdotalia. Corporalia et purificatoria mundissima et candidissima sint. Candelabra ex simplici ligno torno sint elaborata. Nostra Missalia, Breviaria, ac insuper alii nostri libri simpliciter colligati sint et absque curiosis et pretiosis signaculis.

12. Caveant igitur Fratres ne in rebus ad divinum cultum pertinentibus, in aedificiis nostris et utensilibus quibus utimur, ulla appareat pretiositas vel superfluitas; probe scientes, quod Deus, iuxta Clementis V <sup>3</sup> effatum, cor mundum requirit et sanctas operationes, hisque magis delectatur quam rebus pretiosis et bene ornatis. Propter quod attendere debemus, ut in omnibus rebus, quae ad usum nostrum sunt, altissima resplendeat paupertas, quae nos inflammet ad divitiarum coe-

<sup>1</sup> S. R. C., 2 Aug. 1892.

<sup>2</sup> Clem. V, *Excivi*, c. 2.

<sup>3</sup> Clem. V, *Excivi*, c. x, 2, 3.

lestium amorem, ubi omnis noster thesaurus, deliciae et gloriae esse debent. Idcirco, prohibemus receptionem cuiusvis rei ex auro vel argento confectae, exceptis calicibus et Sanctissimi Sacramenti pyxidibus. Et Ministri Provinciales, quando visitationem peragent, ubi res, huic Constitutioni contrarias, deprehenderint, eos, qui illas receperunt, tamquam inobedientes et nostram simplicitatem parum amantes, poenitentia plectant, et faciant ut res dominis suis restituantur: si vero nesciant quorum sint, ea dari faciant aliis pauperibus ecclesiis.

13. Conventus nostri sint constructionis simplicis, sed solidae et commodae, indigentibus communitatis religiosae conformes. Cellae longitudine et latitudine non excedant spatium viginti quatuor decimetrorum, nec in altitudine viginti sex cum dimidio; portae habeant altitudine octodecim decimetra cum dimidio, latitudine septem, fenestrae altitudine septem, latitudine quatuor cum dimidio; ambulacrum dormitorii habeat latitudinem sexdecim decimetrorum, et altitudine a plano rectorii usque ad tabulatum seu dormitorii pavementum, non excedat triginta quatuor decimetra cum dimidio; ubi vero aer foret admodum insalubris, augeri posset usque ad triginta septem decimetra. Similiter aliae officinae parvulae sint, humiles, pauperes ac demissae, ita ut omnia praedicent humilitatem, paupertatem, mundique contemptum. Ubi lex civilis pauperem nostram construendi normam non admittit, servetur saltem quoad loca interna, sin minus curent fabricerii ut a simplicitate vel paupertate Congregationi nostrae propria non recedatur, nisi in quantum ipsis necessarium videtur in conscientia, obtenta Definitorii Generalis adprobatione.

14. Et ne ullus error in aedificando vel in situ eligendo nascatur neve cellae et alia loca fiant exemplari et supra-

dicta mensura maiora, ordinatur: quod a Provinciale et a Definitoribus in Capitulo eligantur quatuor Fratres e melioribus, magis idoneis ac zelosis Provinciae, qui simul cum Ministro Provinciali munus habebunt inveniendi situm idoneum, ubi fundandi sunt conventus, simulque exhibendi exemplaria ab ipsis subscripta, iuxta quae dein construantur: et haec studeant ita disponere, ut ex nulla parte deinceps quid destruere debeant; et dum inter ipsos foret discrepantia, tam in eligendis sitibus, quam in efformandis exemplaribus, volumus, ut haec per vota secreta dirimatur, maiorque pars devincat; et Provincialis non habeat nisi vocem unam, prout et quilibet fabricerorum. Ad effugienda autem quaecumque possent pulchritudinem paupertatis offuscare, ordinatur: quod Fratres, quibus negotium fabricarum commissum erit, diligentes sint, probeque solertes, ut tenere et observare faciant pauperem formam, et mensuram praescripti exemplaris ipsorum onerantes conscientiam de quolibet notabili et non necessario excessu: sibi que ut exemplar proponant parvulas pauperum aediculas, non vero magna divitum palatia et omnes Fratres contentent auxiliares praebere manus cum omni humilitate, pace et charitate, dum ipsis fuerit mandatum. De caetero expresse omnibus Fratribus imponitur, ut sese non ingerant ad denarios pro dictis fabricis expendendos <sup>1</sup>, sed huiusmodi curam relinquunt deputatis qui huic negotio praeponuntur; eos tamen humiliter et charitative admonentes, si quid deordinatum vel superflue expensum deprehenderit.

15. Statuitur etiam, quod in locis nostris, ubi possit, habeatur exiguum cubiculum cum camino, ad hospitandum, quum oportuerit, aliquem pauperem peregrinum vel advenam,

<sup>1</sup> Clem. V, *Exivi*, § Porro.

prout requirit charitas, et paupertas nostra patitur, maximeque personas religiosas divino dicatus servitio.

16. Absolutis porro conventibus, nullus Guardianus possit quidquam aedificare vel diruere, nisi cum ipsi iniunctum fuerit a suo Ministro Provinciali, qui attente vigilet ne huiusmodi tribuat licentiam, nisi perspiciat quod vera necessitas adsit; et dum vellet dare licentiam in re notabili, consensum habeat sui Definitorii et Fabriceriorum. Restaurationes vero, et reparationes ad aedificium conservandum necessariae, curae relinquuntur Guardianorum, de consilio tamen Discretorum familiae. Si autem agatur de expensis alicuius momenti, licentia Provincialis obtineri debet.

17. Prohibentur Fratres, Guardiani et subditi, ne in hortis recipiendis vel iam receptis, sine licentia Provincialis et Discretorum, vites, si quae fuerint, aut arbores frugiferas, aut etiam non frugiferas, quae solum ad ornamentum aut commodum inserviunt, caedant; et qui contra fecerit, arbitrio Provincialis puniatur,

18. Et ut puritas Regulae cum debito rerum divinarum ordine melius observetur, insimul cum altissima paupertate, ordinamus: ut novi conventus non recipiantur in quibus duodecim Fratres non possint honeste ali et vivere<sup>1</sup>. In iam receptis autem, si praefatus numerus haberi non potest, non minus quam sex de familia degant Religiosi professi<sup>2</sup>, quorum saltem quatuor sint Sacerdotes, ad tramites Decreti Innocentiani « *Ut in parvis* », non obstantibus Decretis S. Congregationis, super Reformatione. Ubi minor est numerus Sacerdotum et Laicorum, conventus Guardianatus titulo con-

<sup>1</sup> Urb. VIII, *Cum saepe contingat*, 1625.

<sup>2</sup> Pius VII, 1 Oct. 1814.

decorari nequeunt, neque iuribus et privilegiis respectivis gaudere.

19. Et quoniam iuxta doctrinam evangelicam, Christiani et maxime Fratres Minores, qui speciatim elegerunt Christum sequi speculum per viam altissimae paupertatis, recogitare debent, quod Pater eorum coelestis noscat, possit ac velit ipsos regere; ideoque non ad instar gentilium, qui in divinam minime credunt providentiam, cum anxia et immoderata sollicitudine huius mundi res sibi procurare debent, quas et ipsis animalibus larga manu magnus ipse Deus elargitur; quin potius, ut veri aeterni Patris filii, omni carnali sollicitudine seposita, debent ab hac divina liberalitate in omnibus pendere, seseque eius infinitae bonitati remittere; ideo ordinatur: ut in locis nostris nulla fiat provisio, quamvis humano victui necessaria, earum rerum quae possunt quotidie mendicari, nisi ad paucos aliquos dies, iuxta temporum et locorum exigentiam; neque fructus in longum tempus reponendi perquirantur. Rerum vero quae non quotidiana mendicatione, sed raro per annum, aut solum per recursum haberi possunt, longior provisio licita est. Limites mendicationis Provinciarum, vel conventuum, designentur a Definitorio Generali vel Provinciali, pro respectivo casu.

20. Si quandoque superflua aut incongrua mitti contingat, Fratres illa recusabunt cum humili gratiarum actione; aut illa acceptantes, secundum dispositionem P. Provincialis vel aliis Provinciae eidemque creditae Missionis domibus egen-  
tibus, vel pauperibus de consensu dantium, distribuent, memores quod in diversoriis hospitamur, populorumque peccata manducamus, et quod de omnibus exactissimam rationem nos oportebit reddere. Quamobrem super omnia caveant Fratres, ne abundantes eleemosynis ex favore magnatum et mundi

devotione, tamquam indigni filii Patris S. Francisci, sanctissimam matrem paupertatem deserant; verum, reminiscantur aurea illa verba, quae cum ardentissimo amoris affectu dicere solebat ipse Seraphicus Pater: *Deo gratias ago, quod ex eius bonitate peramanti meae sponsae paupertati fidem servaverim perpetuam, nec unquam fur extiterim eleemosynarum, cum semper acceperim minus quam quod mihi necessarium erat; ita ut caeteri pauperes sua parte non defraudarentur; secus enim facere quasi furtum est apud Deum.*

21. Insuper, quia paupertas voluntaria nihil habet, et tamen omnium est dives ac beata, nec timescit, nec desiderat, nec quidpiam perdere potest, cum thesaurum suum repositum habeat in tutissimo loco; ideo, ut realiter et in veritate radices penitus evellantur occasionum cuiuslibet proprietatis, ordinatur, quod nullus Frater clavem habeat cellae, capsae, scabelli vel alterius cuiuslibet rei, exceptis Officialibus ad servanda ea quae dispensare debent pro communitate Fratrum, prout iustum est et rationabile, et illis qui ob specialem necessitatem licentiam habent Superioris. Et si Frater aliquis proprietarius fuerit deprehensus, privetur omnibus officiis Ordinis; et iis, quibus haec poena non congruet, imponatur alia poena gravis ad arbitrium Ministri Provincialis. Si quis vero talis in morte inveniatur, (quod absit), privetur ecclesiastica sepultura. Pariter etiam puniatur poena proprietarii, qui libros vel aliam quamlibet rem extra loca nostra deposuerit sine P. Provincialis vel Superioris localis licentia. Et quia nihil possidemus in hoc mundo, nulli Fratri liceat quidpiam dare saecularibus sine licentia suorum Guardianorum, qui et ipsi donare non possunt, nec aliis ad hoc licentiam praebere, nisi agatur de rebus parvi momenti,

absque licentia suorum Patrum Provincialium. Hi vero et ipsi tenentur attendere observantiae Decretorum super largitione munerum Clem. VIII<sup>1</sup> et Urbani VIII<sup>2</sup>. Et sciant Fratres cuiuscumque sint conditionis, dignitatis ac meriti in Ordine, quod nullum ius aut privilegium habeant domicilii permanentis in aliquo conventu aut domo, quin amoveri possint, non obstante quacumque consuetudine Provinciarum in contrarium.

22. Ut autem infirmorum necessitati satis fiat, eisque supeditetur omne possibile ac necessarium subsidium, prout dictat religio, praecipit Regula, fraterna requirit charitas, nec non Seraphici Patris nostri exemplum, qui ipse pro infirmis carnes palam quaerere non erubescerat, ordinamus: ut in omnibus locis habeatur conveniens et salubre cubiculum necessariis provisum, cum camino et capella pro infirmis. Aegrotante porro aliquo Fratere, illico a Patre Guardiano ei deputetur Frater idoneus et charitate plenus, qui in omnibus ipsi necessariis serviat. Quod si non fecerit, aut in aliis infirmi necessitatibus fuerit deficiens, talis graviter puniatur a Ministro Provinciali. Ubi vero conveniens foret, ut aeger locum et aerem mutaret, alius locus eidem provideatur. Et omnes Fratres apud se recogitent, quid sibi in tali casu factum vellent; meminerintque horum, quae pius noster Pater palam expressit in Regula: nullam matrem adeo teneram, piam et in filium suum unicum propensam esse, qualem in Fratrem suum spirituales quemlibet nostrum esse oportet.

23. Et Fratres, qui sub uno capite, quod est S. Pater noster Franciscus, ac sub uno eodemque vexillo paupertatis

<sup>1</sup> Clem. VIII, *Religiosae Congregationes*, 18 Iun. 1594.

<sup>2</sup> Urb. VIII, *Nuper a Congregatione*, 16 Oct. 1630.

et mundi contemptus militant, in nomine dulcissimi Iesu congregati, sint unius cordis ac unius mentis, conantes semper ad maiorem tendere perfectionem, et ut veri sint Christi discipuli, ex toto corde mutuo se ament, alter alterius defectus supportantes; sine ulla intermissione sese exercent in amore divino et fraterna charitate, optimum exemplum sibi invicem caeterisque omnibus praebere studentes, suis passionibus suisque vitiosis inclinationibus vim inferendo; quoniam ut Salvator noster ait, *Regnum coelorum vim patitur et violenti*, illi nimirum qui vim et violentiam sibi ipsis inferunt, *rapiunt illud* <sup>1</sup>.

## CAPUT VII.

1. Probe scientes nos ad laborandum in vinea Domini esse vocatos, ordinatur ut, ad normam Constitutionum Apostolicarum <sup>2</sup>, Sacerdotes nostri qui Confessarii munere funguntur, praeter vitae religiosae probitatem sint scientia praediti. Quapropter, antequam approbentur, accurate examinentur a Ministro Generali vel Provinciali, ut tandem licentiam Ordinarii obtinere possint.

2. Pro Fratrum autem Confessionibus excipiendis deputentur, a Ministro Provinciali suoque Definitorio, saltem duo vel tres Confessarii in singulis locis, pluresque prout numerus Fratrum cuiusque familiae requiret, qui sint viri docti, prudentes, et charitate ornati, quibus etiam concedatur facultas absolvendi a casibus reservatis in Ordine, quales sunt omnes

<sup>1</sup> Matth. xi, 13.

<sup>2</sup> Clem. VIII, *Alias*, 11 Februarii 1603. — Clem. XII, *Dudum*, 14 Maii 1735.



et singuli a Clemente VIII ut tales designati <sup>1</sup>. Nullus vero Fratrum Confessiones Confratrum excipere audeat, nisi examinatus et ad hoc approbatus fuerit a Ministro Generali vel Provinciali. Qui a Ministro Generali approbatus fuerit, Confessiones Fratrum in toto Ordine, qui vero a Ministro Provinciali, in omni loco intra limites eiusdem Provinciae excipere poterit, nisi forte haec facultas ad certum locum vel familiam expresse restricta sit. Ut autem omnium Religiosorum meliori provideatur spirituali bono, concedimus in perpetuum, ut Sacerdotes legitime iter facientes extra propriam Provinciam, licite et valide Confratrum Confessiones audire possint et a casibus absolvere, modo sint approbati ad Confessiones Fratrum audiendas in propria Provincia.

3. Fratres nostri Confessario saeculari aut alterius Ordinis confiteri prohibentur; sed si rationabili de causa et cum licentia proprii Superioris extra conventum morentur, a quolibet Confessario saeculari ab Episcopo, aut regulari a suo Superiore approbato, a censuris et peccatis, etiam in Ordine reservatis, absolvi poterunt, dummodo tamen non sit praesens nisi Confessarius Ordinis <sup>2</sup>. Hanc eamdem facultatem valere declaramus etiam pro Religiosis, qui in parvis degunt conventibus, quando unus tantum adest Confessarius. Meminerint ideo Ministri Provinciales, quod in parvis communitatibus omnino debeant deputare habitualiter saltem duos Confessarios ex Religiosis proprii Ordinis, qui facultatem habeant absolvendi ac casibus et censuris in ordine reservatis <sup>3</sup>.

4. Et Fratres confiteantur bis, vel ad minimum semel

<sup>1</sup> Clem. VIII, *Sanctissimus Dominus*, 26 Maii 1593.

<sup>2</sup> S. C. Episc. et Reg. 5 Apr. 1897.

<sup>3</sup> S. Congr. super statu Regul. 17 Aug. 1866.

in hebdomada. Inter deputatos Confessarios unusquisque libere eligat quem sibi magis placebit; et meminerint Superiores sibi non licere a Confessariis postulare, ut sibi exhibeant elenchum Fratrum quorum Confessiones audiunt<sup>1</sup>; invigilent tamen ut corrigant notabiliter negligentes.

5. Et si qui Fratrum, instigante inimico, mortaliter peccaverint, et eorum delicta sint notoria, pro iis peccatis, de quibus ordinatum erit inter Fratres, ut recurratur ad solos Provinciales, quam primum poterunt, absque sui nota ac commode, cum omni humilitate et contritione recurrent ad eosdem Patres Provinciales quibus se possunt ac debent fiducialiter credere. Ipsi vero Superiores si perspexerint eos revera contritos ac humiliatos, firmumque sese emendandi habentes propositum, et ad condignam poenitentiam paratos, suaviter, Christi veri Patris et Pastoris nostri exemplo, illos recipiant eo plane modo, quo filius prodigus a piissimo patre fuit susceptus; simulque cum Christo conentur cum gaudio perditam ovem propriis humeris in evangelicum ovile reportare. Et recordentur quod Seraphicus Pater Noster S. Franciscus dicere solebat: « *quod, si quempiam qui ceciderit volumus erigere, opus est per misericordiam nosmetipsos inclinare, prout fecit Christus pientissimus Salvator, dum ipsi oblata fuit adultera, minime vero cum rigida iustitia strictum ius adhibere* »; quin potius, recogitent quod dulcissimus Filius Dei, ad salvandum nos descendit de coelis in terram, in Cruce mortuus est, et humiliatis peccatoribus semper omnem possibilem exhibuit affabilitatem. Unde S. Petro, quem mundo reliquit pro universali Pastore, dixit, quod volebat ut ignosceret peccanti septuagies septies; et Seraphicus Pater noster

<sup>1</sup> S. Congr. Concilii, 26 Mart. 1678.

in quadam sua epistola scriptum reliquit: « *quod Frater quantumcumque magnus fuisset peccator, volebat, ut, in aspectu sui Superioris comparens, non ab eo recederet sine misericordia, cum hanc humiliter exposceret*<sup>1</sup>; si vero eam minime requireret, volebat quod Superior hanc eidem offerret; imo si millies postmodum sese de novo praesentaret, nunquam sese exhiberet indignabundum vel eius peccati memorem, sed potius, ut hunc facilius ad Christum nostrum piissimum Dominum traheret, eum in veritate diligeret ex corde. Huic igitur Superiores misericorditer iniungant poenitentiam; et hanc imponendo recogitent, quod si Deus cum rigida iustitia nos diiudicare vellet, pauci, vel nullus salvaretur; intentum ergo habeant oculum ad salvandas, non autem ad perdendas miserorum Fratrum animas.

## CAPUT VIII.

1. Quia secundum doctrinam Christi humilis Domini nostri, Superiores christiani esse non debent sicut gentilium principes, qui in dignitatibus constituti extolluntur, quin potius eo magis sese deprimere debent, quo gravius super humeros suos onus sustinent; ac recogitare quod ubi caeteri Fratres suo Superiori debent obedire, sibi vicissim incumbit cunctis servire Fratribus, prout per Capitulum, a quo electi sunt, ex obedientia sibi imponitur, necnon eisdem servire et ministrare in omnibus necessitatibus, maxime in spiritualibus, ad exemplum Christi, qui servire et ministrare venit et ut propriam pro nobis poneret vitam: idcirco omnes Superiores nostros exhortamur, ut ministri sint et servi omnium suorum

<sup>1</sup> Chron. p. 1, l. 2, c. 14.

Fratrum; quod utique praestabunt, ubi iuxta dictum Seraphici Patris, exemplo simul et doctrina subministrabunt subditis suis spiritum et vitam.

2. In omni electione procedant Fratres pure, simpliciter, sancte, et canonice, liberi ab omni morali pressione, adnitentes, iuxta Christi nostri piissimi Domini consilium, quando ad eius nuptias sunt invitati, postremum cum ipsomet, non vero priorem cum Lucifero, locum tenere; scientes, quod *erunt novissimi primi et primi novissimi*<sup>1</sup>; verum, fugientes potius cum Christo dignitates, eas non acceptent, nisi a Deo, tamquam Aaron, per sanctam obedientiam fuerint vocati.

3. Omnia scrutinia nostrorum Capitulorum Generalium, Provincialium et localium fiant per schedas secretas, adeo ut nomina eligentium numquam publicentur, prout vult ac mandat S. Concilium Tridentinum<sup>2</sup>; nec sit licitum supplere voces absentium; et si contra huius Decreti statutum ad quodcumque officium aliquis eligatur, talis electio omnimode irrita sit ac nulla.

4. Declaratur etiam universis Fratribus, quod in omni electione necessarium sit et sufficiens, ut qui electus erit, habeat ultra dimidiam partem vocum; et notum facimus, quod sub poena peccati mortalis, in omni electione, ille eligendus est, qui melior et magis idoneus existimabitur ad illud ad quod eligitur officium, quovis alio seposito respectu.

5. Et quoniam Superiores subditis suis multo magis operibus quam verbis duces esse debent et norma; ordinatur, quod Frater, qui nequeat habitualiter die noctuque convenire ad chorum et cum aliis Fratribus ad refectorium, et notabi-

<sup>1</sup> Matth. xx, 16, Ioann. vi.

<sup>2</sup> Sess. xxv, c. 6, De Regul.

liter indigeat cibis specialibus, non eligatur Superior, nec detur illi cura Novitiorum.

6. Clerici et Laici possunt habere voces in electionibus, ex declaratione Pii V, sanctae memoriae, non obstante Decreto S. Concilii Tridentini. Attamen, ut iuvenes nostri, tam illi qui venerint e saeculo quam ab alia Religione, cum maiori quiete et simplicitate attendant ad conservandum et augendum spiritum recenter conceptum, determinatur quod ad nullas concurrant electiones, neque cum voce passiva, neque cum activa, quamdiu non emiserint professionem solemnem.

7. Capitula Provincialia habeantur, praemonito Ministro Generali, de triennio in triennium <sup>1</sup>, feria sexta secundae vel tertiae hebdomadis post Pascha, vel alio tempore, secundum Provinciarum consuetudinem; salva tamen facultate Patris Generalis convocandi Capitula praedicta occasione suae Visitationis, vel alias, sicut etiam differendi eadem ad sex menses ultra triennium, vel anticipandi per sex menses, vivente Ministro, iusta de causa <sup>2</sup>. Et ordinatur ad tollendam omnimodam suspicionem, ut per menses duos ante Capitulum <sup>3</sup>, nulla fiat Fratrum mutatio sine magna ac manifesta necessitate, et si quemdam permutare opus esset, remittatur dein ad dandam vocem tempore electionis Discreti in loco, ubi prius erat de familia. Advertant Patres Provinciales et Definidores, ut in dispositione familiarum et permutatione Fratrum, nil faciant quod rationabilem pariat suspicionem alicuius pro futura electione consilii. Neque quis iure vocis activae et passivae privetur, etiam iustis ex causis, nisi plus

<sup>1</sup> Cap. Gen. 1747, Bened. XIV, 20 Febr. 1756.

<sup>2</sup> Cap. Gen. 1747, Clem. IX, 9 Sept. 1667.

<sup>3</sup> Bull. Ord. X, 9 Maii 1876.

quam duos menses ante Capitulum, haec privatio communicata et promulgata fuerit. Eo minus quis in ipso electionis actu voce activa et passiva privari poterit, nisi in casibus a iure praevisis.

8. Intimato Capitulo Provinciali, in quovis conventu, in quo saltem quatuor Patres et duo Fratres, Clerici vel Laici solemniter professi degunt, eligatur Frater in Discretum, qui debeat ad Capitulum ire cum Guardiano, secum deferens necessitates locorum et etiam Fratrum in particulari; et Vocalis sit ut Pater Guardianus. Et sciant Fratres quod in Discretos eligi non possunt, qui mala voluntate vel incuria Regulam non servant, praecipue quoad usum pecuniae, praeceptum de non equitando, et vitam communem. Ubi vero electio Discretorum per Decretum pontificium abolita est, standum est ipsius Decreti tenori.

9. Socii Ministri Provincialis habeant vocem activam et passivam in electione Discreti conventus residentiae Provincialis; socii vero Ministri et Procuratoris Generalis in conventu propriae Provinciae concurrere possunt, ubi ex legitima causa et cum licentia Ministri Generalis commorantur.

10. Praedicatores, cum ad praedicandum non nimis procul iverint, ad suum locum redeant ad faciendam Discreti electionem; si vero tam procul profecti fuerint, ut tempore huius electionis reverti nequeant, vel ad id vires eis non sufficiant, vocem habeant in suae Provinciae conventu qui vicinior sit loco in quo concionati fuerint.

11. Qui in aliena Provincia commorantur saltem per annum, cum obedientia Ministri Generalis in auxilium illius Provinciae, ad Discretatum concurrere possunt in loco in quo degunt.

12. In Capitulo Provinciali, praeter Guardianos et Di-

scretos, Vocales erunt Minister Provincialis, Definitores, et Custodes Generales actuales. Gaudebunt item voce activa et passiva in propria Provincia Exprovinciales, qui munere ibi functi fuerint, sicut et Exgenerales, Exprocuratores et Exdefinitores Generales, post completum munus <sup>1</sup>.

13. Eligantur porro in Capitulo Provinciali quatuor Definitores, ex ipso gremio Capituli, cum absentes eligi nequeant, quorum duo ad summum possunt esse ex iis praecedentis Capituli; et in hac electione vocem passivam et activam habeant omnes Patres Vocales in loco Capituli praesentes, praeter Ministrum Provinciale, qui in hac electione vocem habeat solummodo activam; item vocem activam tantum habeant Minister Generalis, si Capitulo ipse praesideat, pro toto Capitulo, et Commissarius Generalis, ut Praeses Capituli, si est professus seu filius eiusdem Provinciae, secus autem non. Scrutinia iterantur donec quatuor Definitores electi fuerint, quod etiam de sequentibus valet electionibus, excepta electione Ministri Provincialis, quae, si intra diem naturalem secuta non fuerit, ad Patrem Generalem devolvitur.

14. Ordinatur praeterea ut facta hac electione in humilitatis signum et perfectae abdicationis testimonium, ad ostendendum animum nostrum sincerum ab omni specie ambitionis alienum, P. Provincialis renuntiet officio suo, tradendo sigilla in manus primi Definitoris. Dein omnium suorum defectuum culpam dicit in publico Capitulo et accepta humiliter poenitentia, recedat a loco Capituli et ad electionem Ministri Provincialis procedatur. Nulloque modo eligatur nisi habeat qualitates, ad hoc munus requisitas. Et cum Provincialis electus fuerit, Patres Definitores, nomine Capituli, mittant aut

<sup>1</sup> Rescr. 28 Iul. 1770.

scribant Ministro Generali pro confirmatione, iuxta Clementinam <sup>1</sup>; interim vero, donec responsum venerit, poterit officium exercere, tamquam Minister electus, dummodo in ipsa versetur Provincia. Et cum exactum fuerit triennium, non possit in eadem Provincia reeligi, sed in ipsa liber permaneat ab omni Praelatura per annum unum, et a Provincialatu per annos tres. Si tamen in alia Provincia fuerit electus, poterit illud exercere officium per aliud triennium, ac dein cesset ut supra.

15. Statuitur insuper, quod Visitatores Generales missi ad visitandas Provincias, vel ut Capitulis assistant, non possint eligi in Provinciales Provinciarum ad quas mittuntur; et si eligantur, prorsus nulla declaratur talis electio. Idem determinatur de Commissariis permanentibus: quod sane non intelligitur, dum praefati Visitatores sunt eiusdem Provinciae quam ex ordinatione Superiorum visitant et gubernant; tales namque poterunt concurrere ad Provincialatum ac eligi.

16. Si in Provinciale electus fuerit unus ex Definitoribus neo-electis, fiat electio quinti Definitoris, et possit eligi unus ex iis Capituli praecedentis, quamvis inter primos quatuor fuissent electi duo ex iisdem, quando nempe Provincialis electus unus erit ex illis, minime vero dum erit de novis Definitoribus; ast si Provincialis non fuerit electus de gremio Definitorii, sed de Capitulo aut extra Capitulum, desistendum erit ab electione quinti Definitoris, quia numerus iam est completus.

17. Terminatis his electionibus, eligantur de gremio Capituli duo Custodes Generales. Constituatur primo per unum scrutinium primus Custos, qui referre debeat ad Capitulum Generale de gubernatione Ministri Provincialis eo tempore

<sup>1</sup> *Exivi de paradiso, § Demum.*



cessantis, una cum necessitatibus Provinciae; et in eo primo scrutinio solus hic eligatur, dictusque Minister in illo non habeat vocem passivam, dein vero alter eligatur Custos in alio scrutinio, in quo supradictus Pater Minister vocem habeat passivam. Praefati autem Custodes vocales sint prout et Provincialis. Actus electionis authenticus a Disquisitoribus Capituli subscriptus et sigillo Provinciae munitus electis tradetur, ut ad Capitulum Generale accedentes illum in signum suae electionis canonicae Definitorio Generali seu Praesidi Capituli exhibere possint. Finito triennio cessant Custodum facultates, nisi noviter eligantur.

18. Si contingat Ministrum Provinciale ultra mensem abesse a Provincia constituat ut Vicarium Provinciale primum Definitorem, nisi circumstantiae speciales aliud suadeant. Interim Vicarius nihil in Provincia innovare poterit.

19. Si acciderit obitus Ministri Provincialis, vel alia de causa ab officio cessaverit, primus Definitor maneat Vicarius Provincialis, et eo deficiente ante Provinciale, vel occurrente casu quo moriatur postquam remanserit Vicarius Provincialis, ei succedat secundus Definitor, dein tertius et ita successive de aliis fiat; et curet convocare Capitulum suo tempore, prout illi ordinatum erit a P. Generale pro electione novi Provincialis.

20. Cum Definitores polleant non tantum voce consultativa, sed etiam decisiva, ideo ad omnia vocandi sunt quae per Definitorium gerenda sunt ac definienda. Provincialis ergo nullum maioris momenti negotium tractet aut decidat sine totius Definitorii consilio et voto, in qua votatione minor pars se submittere et subscribere debet sententiae maioris partis. Quod si ob mortem aut absentiam alicuius Definitoris vota sint paria, Provincialis, cum consensu Definitorii, Patrem

idoneum de familia aut Provincia, in Definitorium vocet, qui in hoc casu vocem habeat sicut et alii. Et nullus Provincialis aut Provinciae Visitator dispensare poterit super sententiis a Definitorio latis, absque consensu maioris partis Definitorii.

21. Ad evitanda plurima inconvenientia, quae oriuntur e non servatis sub secreto, prout oportet, negotiis quae pertractantur in Definitione, determinatur: quod Patres Provinciales et Definitores, quod valet etiam de Definitorio Generali, ultra ius naturale, quo ad illud adstringuntur, iuramentum praestent servandi sub secreto omnia, quae in Definitione pertractantur, quaeque notam, perturbationem, vel alia incommoda inducere possint. Contrafacientes graviter puniantur.

22. Ut assignetur conveniens et expedita ratio in institutione seu provisione Guardianorum, declaratur quod Patres Ministri cum Patribus Definitoribus, peracta auditione omnium Discretorum et Guardianorum possint primum inter se simul conferre et discutere, quinam sint excludendi; ac dein quilibet eorum, videlicet P. Minister ac Definitores, seorsim conficiet secreto catalogum, in quo tot Patres annotabit, quot erunt Guardiani constituendi, illos libere eligens, quos iudicaverit meliores iuxta suam conscientiam. Vocatis in Definitorium Scrutatoribus Capituli vel aliis de novo, prout consultum videbitur, assumptis, unusquisque suum catalogum ad manus eorum consignabit. Scrutatores, collectis apud se secreto omnium vocibus in Definitionem vocabunt Ministrum cum Definitoribus, et pronuntiabunt nomina vocesque Fratrum electorum; et si accideret, quod in primo scrutinio non essent electi omnes, fiat secundum, tertium et tot quot necessaria sunt, donec requisitus numerus Guardianorum adimpleatur. Ubi vero Guardianorum debitus numerus excederetur, P. Minister cum Definitorio secreto, pro suo arbitrio, possint quos

consultius duxerint, superfluos expungere; et praevio inter se habito consilio, suis locis distribuant, prout sibi magis expedire videbitur, Guardianos electos. Et quoniam nonnullae Provinciae conventus quosdam habent in civitatibus insignioribus, ubi opportunum appareret, ad removendam omnem suspicionem ac iudicium, poterunt collocationem Guardianorum in dictis locis facere per secretum scrutinium; quod etiam servare debent aliis in rebus, ubi inter se aliqua sententiarum disparitas accideret. Hic modus providendi Guardianos servetur etiam in Congregationibus Definitorialibus, attamen in hoc casu, si post tertium scrutinium paritas votorum persistat, Provincialis habet tunc decisivam <sup>1</sup>. Et facta collocatione Guardianorum, suis propriis conventibus, fiat similiter dispositio familiarum.

23. Ubi Guardianus aliquis deficiet aut morietur, citra sex menses ante Capitulum, alius non fiat Guardianus; si autem sex mensibus ante Capitulum deficiat, alius fiat, modo superius exposito.

24. Insuper, Guardiani non possint eligi ad huiusmodi officium, in eodem loco, diutius triennio; sed in alio loco possint ad aliud eligi triennium et postquam per sexennium Guardiani fuerint, a Guardianatus munere per annum liberi erunt; non vetatur tamen quin supradicti Guardiani, intra id tempus in Ministros Provinciales ac etiam in Generalem, eligi valeant.

25. Ordinatur quod non possit Guardianus, rite electus, ab officio suo deponi aut suspendi, sine gravi causa et consensu Definitorii Provincialis; poterit tamen mutari a loco in locum durante suo triennio, ob motiva, quae Definitorio Provinciali videantur esse sufficientia.

<sup>1</sup> S. C. 14 Iul. 1791.

26. Patres Vicarii, absente vel mortuo P. Guardiano, regent familiam, quin tamen suffragium habeant in proximo Capitulo Provinciali. Sint Patrum Guardianorum primi consilarii et adiutores principales in bono regimine familiae, et omnibus Religiosis in exemplum perfectissimum obedientiae, subiectionis et zeli observantiae regularis.

27. Electionibus et provisionibus omnibus in Capitulo peractis, si Provincia canonice divisa sit in Custodias, a Definitorio Provinciali designentur Custodes Provinciales, qui in propriis custodialibus locis collocabuntur; et, quin proprie dictam habeant iurisdictionem, accidente urgente aliquo in sua Custodia casu, dum Ministri Provincialis praesentia vel rescriptum nequit haberi, prout sibi iustum et expediens apparebit, rei providebunt.

28. Capitulum Generale, ubi a Ministro Generali, de Definitorii Generalis consensu constitutum fuerit, praemonito toto Ordine litteris encyclicis ipsius Ministri, quolibet sexennio celebrari debet, iuxta Breve Domini nostri Papae Pauli V<sup>1</sup>, circa festum Pentecostes, ut tantae rei maxime aptum, ac a Seraphico Patre nostro in Regula designatum. In hoc Capitulo eligantur sex Definitores, quorum tres ad summum esse possint ex iis, qui fuerunt in Capitulo elapso; et in hac electione vocem habeant cuncti Vocales, qui in dicto loco Capituli aderunt, excepto Ministro Generali, qui habeat vocem activam tantum, usque ad electionem sex Definitorum inclusive. Horum autem Definitorum una cum futuro Generale erit definire, determinare et diiudicare causas omnes, ac declarare dubia quae in istis Constitutionibus occurrent, nec non providere necessitatibus, ac disponere et ordinare tabulas Provinciarum.

<sup>1</sup> Paul. V. *In Supremo*, 20 Oct. 1618.

29. Ad melius dignoscendos eligibiles, congregentur vocales omnes uno in loco, ubi possint sibi procurare notitiam de eligendis, ut dein in congregatione regionali uniuscuiusque linguae, scripto indicent quinam in congregatione generali praeparatoria ante diem Capituli, praesentari possint, ut candidati ad electiones.

30. Facta electione Patrum Definitorum Minister Generalis in eorum, vel Capituli Praesidis, manus sigilla resignabit, et dicet culpam suam in publico Capitulo, eodem modo quo faciunt Provinciales in Capitulo Provinciali, quo facto e loco Capituli discedit, et ab omnibus Vocalibus invocato prius Spiritu sancto cum solitis caeremoniis, procedatur ad electionem novi Ministri. Qui cum sexennium compleverit, liber manebit ab omni Praelatura per alios sex annos. Admittatur Exminister Generalis in Capitulo, facto syndacatu, non pro electionibus, sed pro resolutionibus solummodo Capituli Generalis, habeatque locum septimi Definitoris, praeterquam in functionibus publicis, durante Capitulo, in quibus locum habeat immediate post neo-electum Generalem. Exgeneralis gaudebit voce activa et passiva quousque vixerit in Capitulis Generalibus.

31. In eodem Capitulo Generali eligatur Pater Procurator Generalis, et cum officium suum e pluribus capitibus magnae sit considerationis, determinatur quod ab universo Generali Capitulo eligatur. Attamen declaratur, quod Capitulum Generale eum eligit ad officium tantummodo Procuratoris. Ipse Vocalis erit in sequenti Capitulo Generali; et cum absolverit sexennium, dicet culpam in publico refectorio, ante novi Procuratoris electionem; liberque manebit ab eodem Procuratoris officio per sex alios annos. Exprocurator gaudebit etiam utraque voce in Generalibus Capitulis toto vitae tempore.

32. Ad facilitandam expeditionem negotiorum, omneque obstaculum auferendum quod ex paritate votorum oriri posset, determinatur quod in Capitulis Generalibus, praeter Ministrum Generalem, eligantur semper sex Definitores; unde, ubi completa erit electio Patrum Definitorum et Patris Generalis, si Generalis fuerit electus *de gremio Definitionis*, procedere oportebit ad electionem Patris Procuratoris, qui si non fuerit electus *de eodem Definitionis gremio*, sed *de corpore Capituli*, non erit procedendum ad electionem septimi Definitoris: verum, si fuerit electus *de gremio Definitionis*, fiat electio septimi Definitoris, ut compleatur Definitorum numerus maneantque vota numero imparia. Si vero Pater Generalis electus fuisset *extra gremium Definitionis*, et Pater Procurator *intra gremium Definitionis*, non fiat septimus Definitor, cum iam completus habeatur Definitorum numerus. Et in casu quo tam Pater Generalis quam Pater Procurator essent electi *extra gremium Definitionis*, debet Pater Procurator exclusus remanere *e gremio Definitionis*, cum iam completus habeatur numerus Definitorum ab hac praesenti Constitutione ordinatus.

33. Ministro Generali, uti legitimo Sancti Patris Francisci successori, Fratres omnes obedire tenentur. Ipse, cum suis Definitoribus et tota Curia Generalitia Romae resideat, in domo ad S. Laurentium Brundusinum <sup>1</sup>, ad hunc finem ab Ordine constructa.

34. Quoties Minister Generalis Visitationis aliave de causa ab ordinaria sua residentia discedat, unum ex corpore Definitorii Generalis, suum instituat Vicesgerentem cum titulo Delegati Generalis, cui sufficientes et opportunas concedat

<sup>1</sup> Leo XIII, *Ex debito Pastoralis*, 5 Maii 1896.

facultates, excepta semper facultate confirmandi Capitula Provincialia et concedendi litteras praedicationis novellis Praedicatoribus.

35. Si occurrat quod P. Generalis moriatur tempore sui officii, vel alia de causa cesset, determinatur quod primus Definitor remaneat Vicarius Generalis; quod si ipse mortuus esset ante P. Generalis obitum, vel acciderit ut moriatur postquam iam remanserit Vicarius Generalis, in tali casu sit Vicarius Generalis, qui secundus est Definitor, et ita successive intelligitur de tertio, de quarto et de aliis Definitoribus.

36. Determinatur etiam, quod eveniente obitu P. Generalis antequam compleat tempus suum, Provincialis illius Provinciae ubi defunctus fuerit, illico primum Definitorem Generalem certiore faciat, qui tenebitur statim convocare Capitulum Generale pro electione futuri Generalis; et interim supradictus P. Provincialis mittat sigillum cum scripturis defuncti Generalis ad illum Patrem qui, ut supra, remanserit Vicarius Generalis. Vicarius, sicut et Delegatus Generalis, tempore eorum officii, Ministri Generalis sigillo pro actibus officialibus utantur.

37. Si per obitum, vel ex alia quacumque causa, cuiuspiam Definitoris Generalis officium vacare contingat, Minister Generalis cum suo Definitorio alium eiusdem linguae per schedas secretas eligat ex illis candidatis, quos Vocales regionales in capitulo praesentarunt. Sic electus, in toto Ordine et in propria Provincia, eisdem gaudeat iuribus, privilegiis ac suffragiis, quibus fruuntur Definitores in Capitulo Generali electi, dummodo, sicut et isti, non propria sponte infra tempus sexennii Definitoriatus renuntiaverit. In Definitorio ultimi Definitoris locum occupet.

38. Ad Procuratorem Generalem spectat negotia Ordinis vel Provinciarum directe et immediate cum S. Sede tractare, aut pro facultatibus et Indultis ad eandem S. Sedem recurrere, omnia Ordinis negotia, quae in Romana Curia tractanda sunt, diligenter et sollicite expedire; negotium vero totum Ordinem vel integram Provinciam, Regulam et Constitutiones concernens, aut ad iurisdictionem Ministri Generalis spectans, nonnisi de praevia intelligentia et licentia eiusdem Ministri vel Definitorii Generalis procuret, neque facultates et gratias postulet pro particulari Fratre absque explicito vel saltem legitime praesumpto consensu Ministri Provincialis, respective Generalis.

39. Diligentem curam habeant Minister et Procurator Generalis, ut omnium negotiorum, quae ab ipsis tempore eorum officii circa Ordinem, Provincias, et Fratres geruntur, exactum Regestum habeant, et acta ac scripta in proprio archivo bene ordinata et reposita conservent. Quod etiam ordinatur Patribus Provincialibus, quoad illorum Provincias. Procurator Generalis, quando non est de gremio Definitorii Generalis, ordinariis Congressibus Definitorialibus assistere potest, quin tamen in ipsis vocem habeat.

40. Eveniente, quacumque ex causa vacatione officii P. Procuratoris priusquam absolverit suum officium, ordinatur, quod P. Generalis cum suo Definitorio in eo casu providere debeat Vice-Procuratorem, qui eligi poterit vel e corpore Definitionis, vel e corpore totius Religionis; quique sine alia electione habeat vocem activam et passivam in sequenti Generali Capitulo.

41. Ne bonus ordo, quoad gubernationem vel Superiorum electionem, facile declinet, Capitulum Generale expresse sibi reservat quamlibet mutationem circa praedictam formam



vel successionem regiminis, et renuntiat omnibus privilegiis, declarationibus, dispensationibus, quae illam quovis modo immutare valeant.

42. Postulator causarum Servorum Dei a Ministro Generali et Definitorio nominetur, et, sive quoad causas Beatorum ac Sanctorum, sive quoad expensas, nihil alicuius momenti faciat, inconsulto Ministro Generali cum suo Definitorio. Singulis annis Definitorio Generali de sua administratione exactam in scriptis reddat rationem.

43. Quoad titulos vel privilegia quae Religiosis benemeritis in Ordine concedantur, volumus ut a Definitorio Generali motu proprio, vel ad preces Capituli Provinciae, conferantur, et numquam sint in praeiudicium vitae communis, disciplinae vel observantiae regularis, neque per ea ius concedatur adeundi Capitulum. In posterum prohibemus ne a Superioribus cuiuscumque gradus concedantur privilegia, neque a S Sede petantur, huic nostrae Ordinationi contraria.

44. Quo tempore celebratur Generale Capitulum, habeantur preces continuae ac ferventes ab omnibus Fratibus nostrae Congregationis, et tempore Capituli Provincialis ab omnibus Fratibus Provinciae; divinam exorando Clementiam, ut dignetur cunctas res nostras disponere iuxta suum beneplacitum, ad laudem, honorem et gloriam infinitae suae Maiestatis et utilitatem suae Catholicae Ecclesiae.

## CAPUT IX.

1. Quoniam evangelizare verbum Dei unum est e dignioribus, utilioribus, altioribus, magisque divinis officiis, quae in militante Ecclesia habeantur, a quo magna ex parte salus mundi dependet, eaque de causa Christo Deo nostro adeo

cordi fuit, ut ipse per semetipsum, cum fervore maximo divinae illius suae charitatis, illo perfungi voluit; ideo, ne tam excellens, nobile et fructuosum exercitium in nostra Congregatione deficiat, cum gravi detrimento animarum saecularium, ordinatur, quod in omni Provincia sint in aliquibus locis Studia devota et sancta, charitate et humilitate redundantia, tam de rebus humanioribus, quam de philosophicis ac theologicis litteris, aliisque necessariis scientiis, quibus melius deveniatur ad sacrae Theologiae, divinarum Scripturarum et ecclesiastici Iuris cognitionem; haec enim ultra religiosam probatamque vitam necessaria est iis, qui digne debent et cum debito ordine praedicare, neque naturaliter haberi valet, nisi mediante necessaria scientia studii litterarum.

2. Et quoniam iam simplex idea, character, dignitas ac ministerium sacerdotale scientiam in Sacerdote requirant iuxta illud: « *Labia enim Sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore eius: quia angelus Domini exercituum est* »<sup>1</sup> et aliud: « *Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi* »<sup>2</sup>; ideo Ministri Provinciales maxime attendant ad Decreta pontificia, quae in receptione Clericorum ad Ordinem sufficiens in eisdem ingenium, instructionem et scientiam requirunt. Hinc a P. Ministro Provinciae et a Patribus Definitoribus in Provinciali Definitorio, sive a P. Generale, ii tantum Fratres ad studium promoveantur qui ab iisdem Patribus diiudicabuntur ferventis esse charitatis, laudabilium morum, nec non humilis sanctaeque conversationis, et qui praeterea ad discendum ita apti sint, ut vita deinceps et doctrina utiles et fructuosi sint in domo Domini.

<sup>1</sup> Malach. II, 7.

<sup>2</sup> Ose. IV, 6.

3. Quando ergo Clerici ad studium mittendi sunt, vel antequam ad aliud ascendere possint, a Patribus Ministro Provinciali et Definitoribus, una cum respectivis Lectoribus, diligens discussio fiat de iuvenibus ad studium promovendis, et diligenter examinentur in praesentia cunctorum eorumdem Patrum, factoque praedicto examine secreto exponantur scrutinio, in quo, qui maiorem suffragiorum partem habebunt, in Studentes intelligantur electi, et caeteri omnino exclusi maneant usque dum praefatas condiciones impleverint. Et super hoc graviter oneramus conscientiam Patrum, si in re ex qua tantum fructus vel damni in Religione sequitur, non processerint simpliciter, sed humanis ducti affectibus et passionibus, ineptos approbaverint et indignos, aut in ferendis suffragiis partiales fuerint.

4. Ad studium Philosophiae nullus Clericorum admittatur, nisi prius humaniores litteras didicerit, additis, sive ante sive post Novitiatum, notionibus Rhetoricae. Studium Philosophiae et scientiarum accessoriarum tres annos insumat.

5. Cursus theologicus ad quatuor annos extendatur et sequentes disciplinas comprehendat: S. Scripturam, Dogmaticam, Moralem, Ius canonicum, Historiam ecclesiasticam, Patrologiam, Pastoralem ac Eloquentiam sacram.

6. In philosophicis atque theologicis facultatibus exponatur optima et tutissima doctrina Seraphici Doctoris S. Bonaventurae et Angelici Doctoris S. Thomae Aquinatis. Auctores autem nostri Ordinis aliis auctoribus, caeteris paribus, praeferantur.

7. Quoniam Salvator noster, Christus Dominus, servum bonum et fidelem laudavit qui de talentis ipsi traditis lucrum fecit duplum, ad studiorum incrementa promovendum et uberrimos fructus in vinea Domini colligendum, Capitulum Ge-

nerale Ministros Provinciarum eiusdem linguae exhortat, ut cum Definitorum approbatione, Studium generalitium erigant in aliquo loco, praesertim ubi est Universitas catholica. Ibi, post ordinarium studiorum curriculum, sub specialibus legibus, communi consensu Provincialium et Definitorum statuendis et a Definitorio Generali approbandis, Studiosi alacriori ingenio, religiosa vita et bona indole inter alios distincti, in politioribus disciplinis, tam philosophicis quam theologicis, maiorem scientiam adipisci poterunt.

8. Lectores eligantur, iuxta Provinciarum consuetudinem, a Definitorio Provinciali inter Concionatores solemniter professos, qui maxima cum diligentia litteris et scientiis incumbant; nec per annum ordinarie et eo minus per Quadragesimam concionentur.

9. In omnibus Studiis hebdomadales habeantur repetitiones traditarum materiarum, fiant consueta exercitia et examini subiiciantur Studentes, iuxta usum Provinciarum. Nec ad longum tempus, aestus occasione, vel alia de causa, vacationes fiant; in quo Patres Provinciales bene animadvertent, attendentes ut Lectores diligentes sint in prosequendo suas lectiones. Et illi Studentes qui ordinarie disputationes ac repetitiones perficere nollent, vel alio modo negligentes sint in studiis vel exercitiis regularibus, graviter admoneantur, et puniantur ad arbitrium P. Provincialis, et non secuta emendatione ex Ordine dimittantur, si sint votorum simplicium; si vero professionem solemnem iam emiserint, ad Ordines sacros non promoveantur, vel tandem a studio removeantur.

10. Nec quaerant Lectores et Studentes illam scientiam adipisci, quae inflat ac in superbiam effert; sed conentur potius acquirere illuminatricem et inflammantem charitatem

Christi, quae vivificat et humiliat animam; nec adeo usque sese unquam in studio litterarum demergant, ut sanctae orationis studium praetermittatur; sic etenim expresse adversarentur intentioni Seraphici Patris, qui nolebat orationis studium unquam pro quovis studio litterarum omitti; quinimo, ut melius consequi valeant spiritum Domini nostri Iesu Christi, tam Lectores quam Studentes enitentur spiritui magis quam litteris operam dare; quia sine spiritu verus non acquiritur sensus, sed simplex dumtaxat littera, quae excaecat et occidit.

11. Ordinamus, ut Lectores nostri, saltem noctu conveniant in choro ad Matutinum, necnon ad Vesperas et ad unam orationis horam, et legendo propriae sanctificationi diligenter attendant sub obedientia suorum Superiorum. Similiter praecipitur omnibus Studentibus, ut ad Matutinum et ad omnes Horas canonicas conveniant in choro, et ad utramque orationem; secus agentes puniantur.

12. Illi ergo, qui studiis incumbunt, contendant una cum sancta obedientia et seraphica paupertate, nunquam deserere viam regiam, quae ducit ad coelum, sanctam videlicet humilitatem, huiusce saepius memores B. Iacoponis effati: « *scientiam acquisitam ictu ferire lethali, ni cordis humilis operiatur vestitu* ». His vero humiliandi se erit occasio, si cognoverint sibi novam obligationem erga Deum adauctam esse ex eo quod promoti fuerint ad studia, dignique habiti ut introducantur ad veram et suavem intelligentiam sacrarum Litterarum, sub quarum sensu illud delitescit summum Bonum, cuius spiritus eundem gustantibus est super mel dulcis; et dum lectionem ingredientur, hortamur, ut meminerint, in spiritu humilitatis et in animo contrito, mentem ad Deum attollere ac dicere: « *Domine, iste vilissimus servus tuus,*

*et omni bono indignus, vult ingredi ad videndum thesauros tuos; placeat Tibi, ut ipsum indignissimum introducas, et des ipsi in his verbis et sancta lectione, tantum Te diligere, quantum Te cognoscere, quia nolo Te cognoscere, nisi ut Te diligam, Domine Deus, Creator meus. Amen ».*

13. Clericis non detur obedientia pro praedicatione, nisi studuerint disciplinis supradictis per annos septem completos. Nec sufficiat ipsis dicere, quod legerint omnes materias, quae legi solent, cum doctrina, maximeque Theologia, adeo sit ampla, ut legendae nunquam deficient materiae etiam per maius temporis spatium. Studentes autem non promoveantur ad officium praedicationis, nisi postquam fuerint examinati ab Examinatoribus consuetis Provinciae, necnon approbati a Ministro Generali, prout vult ac iubet Regula nostra, et nisi prius emiserint Professionem fidei, iuxta Decretum S. Concilii Tridentini <sup>1</sup> et Constitutionem Pii Papae IV, secundum formam ab eodem editam et a Pio IX adauctam. Hanc Professionem fidei emittent etiam Lectores, priusquam huiusmodi munus exercere incipiant <sup>2</sup>, et Guardiani et alii Praelati in manibus sui respectivi Superioris intra duos menses a die adeptae Praelaturae computandos <sup>3</sup>.

14. Nulli praedicationis ministerium imponatur, nisi constet esse vitae sanctae et exemplaris, clari ac maturi iudicii, fortis ac ardentis voluntatis, probe scientes, quod scientia et eloquentia sine charitate non aedificant, imo et plurimum destruunt, monente S. Gregorio, quod facile praedicatio contemnitur illius, qui vitam ducit remissam. Attendant quoque diligenter Prae-

<sup>1</sup> Sess. xxiv, De Reform. c. 12.

<sup>2</sup> Pius IV, *In sacrosancta*.

<sup>3</sup> Pius IV, *Iniunctum Nobis*.

lati, ne in imponendo tali officio sint acceptatores personarum, nec amicitia vel humano favore moveantur, sed simpliciter agant pro Dei honore, curantes potius ut Concionatores sint pauciores ac boni, quam multi ac insufficientes, ad exemplum Christi summae Sapientiae, qui in tam magna turba Hebraeorum, duodecim tantum elegit Apostolos, et septuaginta duos Discipulos, proluxa prius oratione habita.

15. Approbatio Studentium pro praedicatione conficiatur uno eodemque instrumeto a Provinciali Definitorio, Examinatoribus et respectivis Lectoribus, dum sunt in Congregatione, minime vero ab invicem seiuncti, nec seorsum median- tibus litteris. Omnes autem iuramento obtestentur iuvenem per septem annos completos studuisse. Quod vero spectat vitam et mores, hoc relinquitur praedictorum Patrum conscientiae, iuxta cuius dictamen Studentes approbare vel reprobare debent per secreta suffragia, quod intelligitur quoque de idoneitate; de hoc praefati Patres fidem faciant Ministro Generali.

16. Si vero eveniret quod Studens ex una Provincia transiret ad studendum in alteram, secum deferat approbationem cum testimonio circa mores a Patribus Provinciae unde disce- nit; et antequam promoveatur ad officium praedicationis, habeat iuratum fidem a Patribus utriusque Provinciae, quoad tempus quo in eis studuerit, ut inde melius dignoscatur Fratris meritum, sufficientia ac tempus, quod in studio expenderit.

17. Et Fratres qui transierint ab una Provincia ad alteram, si Studentes non sint, ad studium promoveri non possint in Provincia ad quam ibunt, nisi permanserint in ea per annum, praebendo de seipsis bonum experimentum.

18. Studentes, qui per sua demerita, semel a studio amoti fuerint, studio non restituantur, nisi dederint signa verae

emendationis, accepta debita informatione; si reperti fuerint praefatum bonum experimentum de seipsis praebuisse, et de caetero sint idonei, P. Provincialis et Patres Definitores, si velint, possunt ipsos iterum secreto exponere suffragio, et obtenta maiori parte votorum, remittantur ad studia.

19. Sacerdotes, qui Ordinis nostri habitum sumpserint, triennio votorum simplicium perdurante, sacrum ministerium praedicationis non nisi cum speciali licentia Ministri Generalis, a Provinciali petita et in scriptis obtenta, exercere poterunt. Praedicationis vero patentes illis, emissa tantum professione solenni, concedantur, praevio examine, si Ministro Generali ita benevisum fuerit.

20. Iuniores Sacerdotes tenentur ad annua examina subeunda, et quidem durante quinquennio ab expleto studiorum cursu, circa materias a P. Provinciali quovis anno determinandas. Omnibus autem Sacerdotibus nostris in memoriam revocamus gravem obligationem de continuando studio Sacrarum Litterarum, praesertim Theologiae Moralis, ne in illis verificentur verba Salvatoris « *si caecus caeco ducatum praestat, ambo in foveam cadunt* » <sup>1</sup>.

21. Imponitur Praedicatoribus, ut non praedicent nugae, fabellas, poemata, quaestiones inutiles, opinionesque supervacaneas et curiosas, doctrinas ac subtilitates, quae a paucis percipiuntur; sed sanctissimi Praecursoris Ioannis Baptistae exemplo, elata ac fervida voce praedicent: « *Poenitentiam agite, appropinquavit enim regnum coelorum* » <sup>2</sup>, et cum Paulo Apostolo Christum crucifixum; et prout Pater noster S. Franciscus nos adhortatur, annuntient vitia et virtutes,

<sup>1</sup> Matt. xv, 14.

<sup>2</sup> Matth. III, 2.



poenam et gloriam cum brevitate sermonis, allegando in primis Christum, cuius auctoritas cunctis mundi rationibus praestat ac personis; adducentes Scripturam sacram, ac subinde traditiones Apostolicas et ecclesiasticas, sacra Concilia, sanctosque Patres ac Doctores. Et sint examinata et casta eorum eloquia ita ut non descendant ad ullas particulares personas, maximeque religiosas, et Praelatos Ecclesiae; secus facientes graviter puniantur, etiam suspensione a praedicatione.

22. Abstineant quoque Praedicatores a perpolititis, fucatis et affectatis sermonibus, utpote quae non decent nudum et humilem Crucifixum, sed nudis, puris, simplicibus ac humilibus utantur eloquiis, quae amore nihilominus sint referta, ardentia ac divina. Et ideo exhortamur Praedicatores, ut contendant totis ac summis viribus, sibi in corde benedictum Iesum imprimere; eique pacificam sui possessionem tradere; ut ex amoris redundantia Ille sit, qui eos loqui faciat, uti Paulus, vas electionis Doctorque gentium, qui non in sublimitate sermonis, humanaeque eloquentiae praedicabat, sed in virtute Spiritus sancti, nec audebat quidquam aliis praedicare, nisi Christus ei prius contulisset illud per semetipsum operari; quemadmodum etiam perfectissimus magister Christus non solum doctrina, sed opere nos docuit. Isti enim sunt magni in regno coelorum, qui prius operantur, et dein docent ac aliis praedicant.

23. Quapropter ordinatur ac praecipitur, ut Praedicatores quando non sunt in actu praedicationis, conveniant ad chorum per omnes Horas canonicas, et ad orationes ordinarias, quantum sit possibile, et vitam agant communem cum caeteris Fratribus.

24. In locis ubi habentur conventus vel residentiae Ordinis nostri, prohibentur Concionatores tempore praedicationis

habitationem apud saeculares, etiam Ecclesiasticos, accipere nisi circumstantiae temporis et loci aliud suadeant, sed apud Confratres vivant pauperes et humiles; et religiosam frugalitatem servent, quemadmodum amore Christi voluntarie promiserunt. Et super omnia caveant ab omni specie avaritiae, ut libere et sincere Christum praedicantes, fructum cum maiori ubertate reportent. Et praedicando nihil pro se neque pro Fratribus quaerant, ut sic, secundum Apostolicam doctrinam, omnibus innotescat, quod non quae sua sunt, sed ea, quae sunt Iesu Christi quaerunt: scilicet, Dei gloriam et salutem animarum, quas pretiosissimo Sanguine redemit. Multo magis vetatur, ne quodvis acceptent, quod non habeat rationem merae eleemosynae, statui nostro conformis, causa praedicationis sibi oblatae. Nec sibi comparare faciant libros, habitus, pannos vel similia quae pretium videantur esse huiusce praedicationis; et ille, qui contra fecerit, puniatur ut propriarius a Ministro Provinciali, et nisi emendetur, removeatur ab officio praedicationis.

25. At si contingat, ut pauperes personae misericorditer populo quodammodo commendandae sint, idipsum non fiat sine licentia Ordinarii vel Parochi; et nullo modo Fratres sese in colligendis et recipiendis, vel distribuendis dictis eleemosynis immisceant, neque permittant, ut illud aliae personae faciant Fratrum nomine.

26. Et ne aliis praedicantes ipsi reprobi efficiantur, dimittant nonnunquam populorum frequentiam, et ad solitudinem redeuntes cum dulcissimo Salvatore montem ascendant sanctae orationis et contemplationis, ibique tamdiu maneant, quoadusque Deo pleni, denuo Spiritus sancti impetu ad divinas in mundum gratias diffundendas moveantur, enitentes, Seraphinorum instar, divini amoris flammis accendi, ut bene

calidi effecti, caeteros possint calefacere, sicque operantes, ac modo Marthae ministerio, modo Mariae silentio vacantes, Christum in vita mixta sequentur, qui postquam oraverat in monte, praedicaturus descendebat in templum, imo et e coelo in terram ad salvandas descendit animas. Conentur ideo omnes Praedicatores, finito praedicationis cursu, quamprimum discedere a civitatibus sive locis, in quibus concionati fuerint, et revertantur ad conventum, nisi detineantur necessitate; ne per nimiam conversationis frequentiam saeculariumque familiaritatem, fructum amittant per praedicationem prolatum et ministerii sui auctoritatem et existimationem minuant.

27. Designatio temporum et locorum praedicationum pertinet ad Superiores locales, si conciones intra conventus districtum, et ad P. Provinciales, si extra hunc districtum et intra Provinciae limites, item ad Provinciales, cum consensu tamen et litteris obedientialibus Ministri Generalis, si extra Provinciae limites habendae sint. Caveant ergo Concionatores ne hac in re directe vel indirecte aliquid concludant cum Parochis vel aliis, inconsultis Superioribus, ne praedicent *non missi*. Qui secus fecerit, moneatur et opportune puniatur, etiam privatione facultatis conciones habendi extra conventum ad tempus, vel in perpetuum, iuxta qualitatem et iterationem culpae. Minister Provincialis cum suo Definitorio potest sibi reservare designationes Concionatorum pro exercitiis spiritualibus, quadragesimalibus et Missionum, etiam intra districtum uniuscuiusque Guardianatus.

28. In illis Provinciis, quae frequentes habent praedicationes, Missiones et exercitia spiritualia octo vel decem dierum, a Definitorio Provinciali statuatur ordo seu regula Missiones peragendi, tum ad uberiores spiritualem fidelium profectum, tum ad convenientem directionem Missionis et

Missionariorum solamen. Insuper volumus, ut omnes extraordinarii labores et Missiones a Provinciale ita praeordinentur et disponantur, ut Superiores locales consulere possint laboribus spiritualibus proprii districtus.

29. Ad mentem Sancti Patris nostri Francisci, cui propagatio et exaltatio Tertii Ordinis maxime cordi fuit, volumus, ut Superiores et Praedicatores Ordinis nostri Tertium Ordinem ubique promovere ac propagare curent, omnemque occasionem arripiant, ut de eius dignitate, utilitateque, praesertim in concionibus, loquantur.

30. Quoniam vero, qui Christum, librum vitae, legere et imitari nescit, doctrinam quam praedicare valeat non habet: idcirco, ut Illi studeant, Concionatoribus iniungitur, ne multos deferant libros, quandoquidem in Christo Iesu sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae Dei. Verum, libri ipsis necessarii habeantur in communi, non autem in particulari, prout semper intentio fuit nostri dulcissimi Patris. Provinciales vero permittere possunt libros ad proprium officium adimplendum, et etiam maiorem librorum numerum ad simplicem usum illis Fratribus, qui in specialibus studiis, seu in scientificis et litterariis laboribus occupantur, dummodo huiusmodi Fratres servent debitam moderationem et omnimodam dependentiam a propriis Superioribus.

31. Et ut melius observetur paupertas, et a cordibus Fratrum removeatur quilibet affectus resve sibi particularis, ordinatur quod in omni nostro conventu adsit locus aptus in quo habeantur Scriptura Sacra, devoti et Sancti Doctores, caeterique necessarii libri ad hodiernum scientiarum statum. Libri vero inutiles, vani et periculosi, qui hominem potius mundanum efficiunt quam christianum, non teneantur in nostris locis; et si occurreret quod adessent, iuxta Patris Ministri Generalis

aut Provincialis dispositionem, suis reddantur dominis vel igni tradantur.

32. Bibliothecis nostris praeficiatur aliquis Sacerdotum in diversis scientiis versatus, qui diligentem librorum curam habeat, catalogum omnium librorum componet, et iam compositum exacte continuabit. In libro separato notabuntur libri, qui a singulis Fratribus ad usum in cellis servantur, tempore suo bibliothecae restituendi.

33. Nemini autem Fratrum liceat libros a bibliotheca extrahere, sine licentia Superioris et sub poenis in Decretis pontificiis statutis<sup>1</sup>; nec ulli liceat, sive Superior sit sive subditus, quovis modo quovisque praetextu, libros bibliothecae assignatos vendere aut commutare. Potest tamen Minister Provincialis, cum consensu sui Definitorii, libros superfluos unius auctoris aut disciplinae alicuius conventus commutare cum libris aequae superfluis alterius conventus, aut superfluos auctores unius bibliothecae dare alteri bibliothecae, quae eidem indigeat.

34. Prohibetur etiam ne quis audeat per se vel per alium imprimere libros, aut eos evulgare sine licentia P. Generalis, in scriptis obtenta ipse vero P. Generalis hanc non tribuat licentiam, nisi prius saltem a duobus doctis et ad id idoneis personis dicta opera videre et examinare fecerit<sup>2</sup>. His autem eo modo examinatis et approbatis, concedere poterit ut typis mandentur, cum licentia nempe Ordinariorum aliorumve ad id deputatorum<sup>3</sup>. Pro opusculis, opellis et articulis ephemeridum sufficit licentia P. Provincialis, servatis ut supra ser-

<sup>1</sup> Urb. VIII, *Conservationi*, 29 Iul. 1638. — Alex. VII. *Conservationi*, 3 Iul. 1656.

<sup>2</sup> Conc. Trid. Sess. iv, de edit. et usu sac. libr.

<sup>3</sup> Const. Leonis XIII, 25 Ian. 1897.

vandis. In omni opere typis mandando nomen auctoris, cum approbatione censorum et licentia Superiorum notentur. Si quis hisce statutis contrafecerit, graviter moneatur et severe puniatur.

35. Universi denique Fratres recordentur monitum in suo Testamento a nostro Seraphico Patre edictum: quod omnes Theologos et eos, qui ministrant nobis sanctissima verba divina, debemus honorare ac venerari, sicut qui ministrant nobis spiritum et vitam.

## CAPUT X.

1. Quamvis omnes Fratres semper desiderare debeant potius esse subditi et obedire, ad exemplum Domini nostri Iesu Christi ac Seraphici Patris, quam esse Superiores aliisque imperare; nihilominus ii, quibus per obedientiam imponentur Praelaturae, pertinaces non sint in illis respuendis, sed cum omni humilitate et sollicitudine sibi commissum adimpleant ministerium.

2. Quapropter ordinatur ut Minister Generalis contendat sui officii tempore, quantum poterit personaliter visitare Provincias, alias vero per delegatos Visitatores Generales, ita ut intra sexennium omnes Fratres et Provinciae Visitationis generalis beneficio perfruantur.

3. Ministri vero Provinciales visitent omnia Provinciae loca et Fratres semel in anno, nec praetermittant, tam ipsi, quam Patres Guardiani caritative subditos exhortari ad perfectam observantiam praeceptorum consiliorumque evangelicorum, promissae Regulae ac praesentium Constitutionum, praesertim vero paupertatis altissimae, quae, sub ducatu obe-

dientiae hierarchicae, totius regularis observantiae firmissimum est fundamentum, eosque paterne corrigant.

4. Et quoniam non punire eos qui peccant idem est ac ad omnia vitia portam improbis aperire, eosque ad similes et maiores invitare errores, ita ut occasionem pariant impedimenti bonis ac disciplinatis Fratibus, ordinamus, quod Superiores cum sancto rigore eos debite puniant; et in punitionibus (quia, ut ait eximius doctor S. Augustinus, sive castigando sive parcendo semper fit eo fine ut hominis vita corrigatur), ita temperetur iustitiae vinum cum oleo misericordiae, ut disciplina non deficiat, nec per nimium rigorem excedatur, sed tali curetur infirmus castigatione, ut misericordia et veritas obviant sibi. Quapropter, quia Provinciales debent expedire omnes causas quae expediri possunt, si tempore Capituli Provincialis, eorum quispiam deprehensus fuerit in hoc notabiliter defuisse, volumus, ut huius publice culpa audiatur ipsique condigna tribuatur poenitentia. Iuxta concessionem Bonifacii VIII, non observentur legum subtilitates seu iudiciariae telae, sed servetur noster *Modus procedendi*. Contendant autem servare, quantum possibile sit, famam pauperissimi Fratris, ob cuius peccatum nullus Frater scandalizari, vel eum fugere aut horrescere, quin potius illi compati, et eo magis ipsum debent diligere quo plus hoc ipso indiget, pro certo semper tenentes, quod, iuxta Seraphici nostri Patris effatum, unusquisque nostrum multo peius faceret, si Deus pro sua bonitate illum gratia sua non praeservaret. Et caveant Superiores ne suorum subditorum animas obedientialibus praeceptis illaqueent, nisi fuerint ad id expietate vel charitatis necessitate coacti; eos vero, qui ad ipsos recurrunt pro spirituali sanctae Regulae observantia, benigne recipiant, paterne consolentur, et opportune eis pro-

videant, si verae sint et reales causae recursus. Ea de causa eligantur in Superiores nostros Patres maturi et discreti, qui scientiam habeant et conscientiam una cum experientia, et in omnibus gravibus negotiis procedant cum Discretorum consilio.

5. Fratres vero subditi cum omni humilitate obediant Superioribus suis, in omni re quam non cognoverint esse divinam offensionem, et debitam eis deferant, uti S. Francisci, imo Christi Dei nostri Vicariis, reverentiam; et quando ab eis reprehensi correptique erunt, iuxta laudabilem consuetudinem nostrorum antiquorum humiliumque Patrum, genuflectant, et patienter ferant omnem reprehensionem et correctionem, nec superbe respondeant, quinimo, nullo modo audeant Superiori respondere, maxime in Capitulis vel refectorio, nisi prius petierint ac obtinuerint licentiam; huic autem contrafacientes, disciplinam faciant per spatium unius *Miserere*. Et omnes Fratres omni studio insistant in emendandis defectibus, et contendant pravas et malas vincere corruptelas optimis consuetudinibus, frequentibusque virtutum actibus currere per viam perfectionis; ut omne nostrum exercitium redundet in laudem et gloriam Dei, occasionemque praebeat pacis, aedificationis ac salutis cunctis proximis nostris.

6. Et exhortamur omnes Fratres, ne a suis Superioribus extra nostram Congregationem appellent, considerantes, quod non venimus ad Religionem litigandi causa, sed ad expianda lacrymis peccata, ad vitam emendandam, crucemque portantam poenitentiae sectando Christum, qui patienter humanis iudiciis, etiamsi iniustis et impiis seipsum subiecit. Attamen volentes recurrere, recurrant ordinatim, iuxta Decretum Sacrae Congregationis super Regularibus; scilicet, a Guardiano



ad Provincialem, a Provinciale ad Generalem, a Generale ad Sacram Congregationem et Summum Pontificem. Animadvertant vero Fratres esse prohibitum appellare ad alia tribunalia, maxime saecularia, per Constitutionem SS<sup>m</sup>i D. Papae Gregorii XIII, sub poena excommunicationis *latae sententiae* Summo Pontifici reservatae, ac privationis omnium officiorum <sup>1</sup>.

7. Et ne punitiones quae a nobis bono fiunt zelo, impediantur vel sinistre diiudicentur, ac etiam ut maior contra delinquentes habeatur procedendi libertas, praecipitur ut Ordinis non manifestentur secreta, et qui eadem manifestabit graviter puniatur a P. Ministro, vel a Capitulo Provinciali aut Generali.

8. Ne sacrae et canonicae Visitationes ad simplicem formalitatem reducantur, Provinciales ad mentem Concilii Tridentini omnia diligenter observent, ac praesertim inquirent, utrum ordinata in Visitatione antecedenti adimpleta fuerint, et si invenerint culpabiliter neglecta fuisse, transgressores pro gravitate culpae reprehendant ac puniant. Visitatione expleta, Ministri Provinciales aut Visitatores Generales de statu totius Provinciae materiali, oeconomico, personali et disciplinari Ministrum Generalem certiozem reddant.

9. Superiores locales, intra tres menses a Visitatione, certiozem reddere debent P. Provincialem de executione eorum, quae in Visitatione ordinata fuerunt, et volumus, ut in hac re nulla dispensatio concedatur. Ad hoc ipsum obligantur infra annum Patres Provinciales quoad Ministrum Generalem, occasione Visitationis ab ipsomet vel ab eius Delegato peractae.

<sup>1</sup> Const. 34. *Quoniam nostro.*

10. Ad vitanda multa incommoda, ordinatur quod Fratres caveant, praesertim iuniores et Laici, a nimio litterarum commercio, causa distractionum et oblocutionis. Studentes durante studiorum curriculo, Laici infra septimum Religionis annum, et Sacerdotes saeculares vel regulares apud nos professi, qui nondum vota solemnia emiserunt, epistolas tradant et accipiant apertas, servato iure quoad epistolas Superiorum vel ad Superiores. Graviter reprehendantur Fratres, et non secuta emendatione puniantur, qui nimis frequenter epistolas mittunt vel recipiunt, licet sub fucato praetextu directionis spiritualis, vel imprudenter divisiones et discordias disseminant inter Religiosos.

11. Hortamur etiam omnes Fratres nostros, ut super omnia satagant habere spiritum Domini et sanctam eius operationem, ad Ipsum orare puro corde et habere humilitatem et patientiam in persecutionibus et infirmitate. Et caveant, secundum Patris nostri monitum in decimo capite datae nobis Regulae, ab omni superbia et vana gloria, invidia et avaritia, cura et sollicitudine huius mundi; ab omni detractioe et murmuratione de cuiusvis status persona, maxime de ecclesiasticis Praelatis, de Clero, et de omnibus aliis Religiosis; sed reverentiam deferant unicuique secundum suum statum, habentes omnes ut suos fratres, patres ac maiores in Christo Iesu Salvatore nostro.

## CAPUT XI.

1. Quoniam secundum sententiam sanctorum Doctorum, maxime S. Hieronymi, familiaritas mulierum, licet sanctorum, vitari debeat a servis Dei sanctaque cautela refugi: idcirco, maxima maturitate consilio ac deliberatione praesens

efficitur Constitutio ab omni nostra Congregatione inviolabiliter observanda, quod scilicet a Fratribus nostris nullo modo, nec sub quavis boni vel sanctitatis specie, nec ad preces populorum aut magnatum accipiatur cura monasteriorum feminarum, aut cuiusvis domus religiosae mulierum. Nec ipsis concedantur Confessarii, nisi hoc a Praesulibus ecclesiasticis ipsis quasi imponatur, et tunc praevia pontificia facultate, si agatur de munere Confessarii ordinarii, et de licentia Ministrorum Provincialium, qui in concedenda tali licentia multum circumspecti sint et prudentes, magis, hac in re, saluberrimis Sanctorum doctrinis credentes, quam humanis persuasionibus.

2. Et quia pertinet ad veros Religiosos servosque Christi, non solum evidentia mala et peccata fugere, sed etiam quidquid possit aliquam sibi speciem mali assumere; ideoque volumus, ut Fratres quodvis monasterium vel alias domos non adeant, in quibus mulieres religiosae habitant clausuram observantes, ad ipsas alloquendas sine licentia legitimorum Superiorum toties quoties obtinenda, iuxta normas canonicas vel legitimas dioecesium consuetudines; quod valet etiam de illis Fratribus, qui ad praedicandum ad Moniales mittuntur. Quoad accessum autem ad pias domos Sororum votorum simplicium necessaria erit toties quoties licentia Superioris localis. Superiores vero hac in re vigilantes et severi sint, seduloque animadvertant, ne facile hanc concedant licentiam, nisi probatis ac maturis Fratribus, et in casu necessitatis aut magnae utilitatis spiritualis.

3. Quoad prohibitionem ingressus ad clausuram Monialium diligenter serventur praescriptiones S. Sedis, quae omnino prae oculis haberi debent, praesertim a Confessariis earumdem Monialium. Et meminerint omnes, Pium IX, in

Const. « *Apostolicae Sedis* », excommunicationi Romano Pontifici simpliciter reservatae subiectos declarasse violantes clausuram Monialium, cuiuscumque generis aut conditionis, sexus vel aetatis fuerint, in earum monasteria absque legitima licentia ingrediendo.

4. Ut autem mundi corde Deum oculo mentis intueamur, rebusque coelestibus aptiores reddamur, non habeant Fratres suspecta consortia vel consilia cum mulieribus, neque superfluas cum eis conversationes, aut prolixiora et non necessaria colloquia; et si necessitate cogantur cum illis loqui, ad bonum praebendum mundo exemplum, in manifesto loco semper consistent, ita ut videri possint, et sic ubique Iesu Christo sint bonus odor, cum puritate, discretione et honestate conversantes, memores illius celeberrimi exempli, quod in Chronicis nostris legitur de illo Fratre, qui paleae fasciculum adurens ait: « *quem fructum palea refert ex igne, eundem refert religiosus servus Dei e conversatione mulierum* »<sup>1</sup>. Et de S. Ludovico Episcopo, Fratre nostro, Ioannes Papa XXII in eius canonizatione ait: quod castitatis amor ab ipsa infantia tantopere cordi eius radices immiserat, ut pro fida huius custodia omnino fugeret consortia mulierum, et adeo ut nullo tempore solus cum sola, nisi cum matre et sorore loqueretur; noverat enim *mulierem morte amariorum esse*<sup>2</sup>. In vita etiam S. Augustini legitur: quod cohabitationem et familiaritatem recusavit sororis et neptis, dicens: tametsi mulieres cognatae suspicioni non sint, nihilominus quae ad visitandas eas aliquando veniunt, aliquam possunt parere suspicionem. Et S. Bernardus ait: quod duo sint,

<sup>1</sup> Pars I, l. VI, c. 29.

<sup>2</sup> Eccles. VII, 27.

quae Religiosos contaminant et confundunt: familiaritas nempe feminarum, et ciborum specialitas.

5. Et animadvertant omnes Fratres, ex Decreto Summi Pontificis S. Pii V, « *Cura pastoralis officii* », 27 Maii 1566, ne intra conventuum nostrorum clausuram mulieres intro mittant cuiuscumque sint status, gradus, conditionis vel aetatis, sub poena privationis omnium officiorum et suspensionis a divinis ac insuper excommunicationis latae sententiae, iuxta Constitutionem Gregorii XIII, « *Ubi gratiae et indulta* », 13 Iunii 1575, felicitis memoriae, quae Constitutio a Sacra Congregatione Episcoporum et Regularium declarata fuit intelligi de monasteriis iam absolutis, non autem de iis, quae de novo aedificantur et ubi nondum est introducta familia, sed solum aliqui Fratres ibi habitant fabricae causa <sup>1</sup>. Et Pius IX, in Constitutione « *Apostolicae Sedis* », antiquas prohibitiones confirmans, excommunicationi Romano Pontifici simpliciter reservatae subiectas decrevit, mulieres violantes Regularium virorum clausuram, et Superiores aliosve eas admittentes.

6. Recordemur denique omnes, quod non solum cum mulieribus, sed etiam cum viris saecularibus, praesertim si iuvenes sint, rara sit ac discreta nostra conversatio, quia indiscreta eorum familiaritas nobis est nocumento, spiritualique progressui multum impedimentum affert.

## CAPUT XII.

1. Quoniam infidelium conversio Seraphico Patri nostro magnopere cordi fuit, hinc ad Dei gloriam eorumque salutem, iuxta Regulam ordinatur, quod si qui Fratres, Christi

<sup>1</sup> Decret. S. C. anno 1584.

benedicti amore ac fidei suae catholicae zelo succensi, voluerint ex divina inspiratione ire ad praedicandum inter eos, primum recurrant ad Ministros Provinciales, dein ad Ministrum Generalem, a quibus idonei iudicati, vadant cum eorum benedictione et licentia S. Congregationis de Propaganda Fide. Minister vero Generalis, cui ex Decreto eiusdem S. Congregationis, diei 7 Dec. 1884, omnes Ordinis Missiones et Missionarii subsunt sub immediata dependentia S. Congregationis, eorumdem negotia, in casibus a legibus Ordinis et a S. C. de Propaganda praescriptis, non tractet, nisi de consensu Definitorum Generalium. Subditi vero nolint praesumptuose seipsos ad tam difficile et periculosum opus aptos diiudicare, quinimo, cum omni timore et humilitate tale desiderium remittant iudicio Superiorum; et qui semel ut inhabiles aut indigni declarati, aut iustis et gravibus de causis, idoneitatem subiecti quomodolibet respicientibus, e Missionibus revocati fuerunt, si iterum pro Missionibus recurrant, nullo modo mittantur.

2. In mittendis Missionariis, etiam quoad eorum selectionem, discrimen sane fieri poterit, inter infideles, haereticos et schismaticos satis mansuetos, dociles ac fidei christianae facile suscipiendae dispositos, et inter eos qui armis et tormentorum vi, astutiis, fallaciis et insidiosis machinationibus cultum suum sustinent ac defendunt. Neque desistant Superiores eos mittere ob paucitatem Fratrum, sed omnem suam sollicitudinem et cogitatum ponentes in Illum, qui continuam habet curam de nobis, in omni negotio agant prout sibi dictatum erit a Spiritu Dei, et disponant omnia cum charitate, quae nullum malum operatur.

3. Et ne alios ad apostolicae Sedis obedientiam convertere quaerentes, nosmetipsos oblivioni tradamus, et ut secte-

mur in hoc sanctam Patris nostri omnino catholici mentem, qui probe sciens quantum intersit omnibus, maxime Religiosis, semper omnino subiacere Summo Pontifici, Christi in terra Vicario, et apostolicae Sedi, ultra quod in primo capite Regulae promiserit obedientiam ac reverentiam Domino Papae Honorio et Successoribus eius canonice intrantibus, et Ecclesiae Romanae, adhuc voluit, ut unum de Cardinalibus pro Protectore haberemus; ac in ultimo capite, per sanctam obedientiam iussit ut cuncti Ministri illum expostularent: eapropter ordinatur, quod, ubi necessitas occurrat, P. Procurator Generalis, praevio consensu Ministri Generalis, nomine ipsius et omnium aliorum Ministrorum, ad pedes Suae Sanctitatis accedat, atque humiliter unum postulet e Cardinalibus Sanctae Romanae Ecclesiae in Protectorem.

4. Cumque nos Fratres Minores S. Francisci debeamus habere semper integram et illibatam fidem, iuxta sacrum Evangelium sanctamque Romanam Ecclesiam, eamque firmiter tenere ac sincere praedicare, atque pro illius defensione ad proprium sanguinem usque ad mortem effundendum esse parati: ordinamus, quod si Frater aliquis inveniretur, per diabolicam tentationem, (quod Deus non permittat) aliquo contra catholicam fidem errore maculatus, Fratres eum denuntient ad Sanctum Officium, ad normam Constitutionis Pauli V, « *Romanus Pontifex* », diei 1 Sept. 1606.

5. Quia vero impossibile est leges ac statuta ordinare pro omnibus casibus particularibus, qui contingere possint, cum determinari nequeat eorum numerus ac qualitas; adhortamur in charitate Christi dilectos omnes nostros Fratres, ut in cunctis suis operationibus prae oculis habeant sacrum Evangelium, Regulam Deo promissam, Sanctorum exempla, sanctas et laudabiles consuetudines, quae proinde neque contradicant

Decretis S. Sedis, neque a mente eorumdem Decretorum declinent, neque cedant in deformitatem Regulae, Constitutionum, Ordinationum et Decisionum Generalium, dirigendo omnes cogitationes, verba et operationes ad honorem et gloriam Dei salutemque proximorum, et ita Spiritus sanctus illos in omni re edocebit.

6. Ad haec, quemadmodum Salvator noster primum coepit operari, deinde vero alios edocere; ita omnes Praelati nostri sese primos exhibeant in praesentibus observandis Constitutionibus, ac dein cum omni sancto et efficaci ausu, inducant omnes subditos suos ad easdem inviolabiliter observandas: et si forsitan nonnullae res aliquantulum difficiles apparerent, eas sancta consuetudo efficiet faciles et delectabiles; et ut melius Fratrum mentibus imprimantur et observentur, omnes Guardiani sedulo curent, ut ter in anno legantur in mensa. Et quamvis non intendamus per has Constitutiones obligare Fratres sub aliquo peccato, nisi in quantum ipsos Deus, Ecclesia et Regula obligant; nihilominus, volumus et ordinamus, ut earum transgressores puniantur. Et si PP. Guardiani negligentes fuerint in illis observandis, et in procurando ut observentur, ac in puniendis delinquentibus, puniantur ipsi a Ministris Provincialibus, et isti a Ministro Generali,

7. Quia insuper praesentes Constitutiones maxima fuerunt diligentia compositae, et in Capitulo Generali, Romae, die 8 Maii 1896, congregato, non minori diligentia revisae ac emendatae, ad normam vigentis Iuris tum canonici tum regularis, ordinamus, ut non mutantur citra consensum Capituli Generalis. Et similiter exhortamur omnes nostros Patres et Fratres, praesentes et futuros, ut non facile mutant, etiam in Capitulis Generalibus, praesentes Constitutiones. Nec fiant Constitutiones Provinciales, sed evenientibus aliis ca-



sibus particularibus, de iis in tabulis Capitulorum Generalium provideatur.

8. Et quoniam Seraphicus Pater noster cum esset in mortis articulo, simul cum paterna sua largam reliquit sanctissimae Trinitatis benedictionem Regulae vere zelantibus eamque observantibus: ideo diligenter omnes attendamus cum affectuoso sinceroque amore, ad acquirendam perfectionem in ipsa Regula et Ordine nostro nobis demonstratam, omnem fugientes negligentiam. Et Fratres praecaveant summopere praesentes transgredi Constitutiones, sub praetextu quod sub nullo peccato obligent; sed cuius sint spiritus agnoscentes, eas inviolabiliter observent, ut gratia addatur ipsorum capiti, et promereantur per huiusmodi sancta servitia, divinam clementiam, conformesque sint Filio Dei, qui legibus a se ipso factis nequaquam obligatus, eas nihilominus pro omnium salute voluit observare. Conserverent igitur sublimem Religionis statum, multorumque bonorum causa sint proximis: probe scientes, quod ad bonos ac fideles pertinet servos non solum adimplere quae ipsis ab heris et dominis minaciter praecipuntur, sed et illis etiam placere in aliis permultis rebus.

9. Recordemur, Patres et Fratres carissimi, saepe saepius sacrum illud ac memorabile thema, super quod solemnissimam perfecit Seraphicus Pater noster concionem, ad magnam illam Fratrum multitudinem, dicens: « *Magna Deo promisimus, sed maiora a Deo promissa sunt nobis* »; servemus has Constitutiones, et quidquid promisimus, et cum ardenti desiderio ad illa bona, quae nobis promissa sunt, aspiremus. Huius mundi voluptates breves sunt, at infernalis poena, quam, qui eas sequuntur obtinent, est perpetua; dolores, quos amore Christi sustinemus, et poenitentia, quam propter illum facimus, ad exiguum tempus durabunt; sed

gloria dein nobis propter haec a Deo danda erit infinita. Multi sunt vocati ad aeternae regnum vitae, sed pauci sunt electi, quia paucissimi sequuntur Christum in veritate cordis. In fine vero dabit Deus unicuique suorum operum retributionem, tam bonis quam reis, vel gloriam, vel confusionem ignis aeterni.

10. Eapropter haec exequentes, oculos erigamus ad Redemptorem nostrum, ut cognito Eius beneplacito, contendamus placere ei, nedum quidem praesentes Constitutiones non contemnendo (cum earum despectus esset grave peccatum), sed etiam amore illius fugiendo omnem negligentiam in iis observandis. Hae siquidem observantia sua nobis adiumento erunt ad adimplendum non solum promissam Regulam, sed et divinam legem, ac evangelica consilia; et in laboribus abundavit per Iesum Christum consolatio nostra. Omnia vero poterimus in Eo, qui nos confortat; quinimo, in omni re dabit nobis intellectum, qui est Dei sapientia, et dat omnibus affluenter et non impropere.

11. Christus igitur, qui lumen est et expectatio gentium, finis Legis, salutare Dei, Pater futuri saeculi, Verbum et Virtus omnia portans, et spes denique nostra, in quo omnia possible sunt, suavia et levia, et cui cognita est fragilitas nostra, nobis non solum subministrabit vires ad exequenda mandata et consilia, sed coelestia semper dona tribuet in tanta copia et abundantia, ut superatis omnibus impedimentis, Ipsum sequi et imitari valeamus, cum maxima alacritate et simplicitate cordis, perfecte despicientes visibilia haec et temporalia, et ad ea, quae coelestia et aeterna sunt, aspirantes.

In Christo, qui Deus est et homo, lux vera, splendor gratiae et candor lucis aeternae, speculum sine macula et

imago bonitatis Dei, qui constitutus est ab aeterno Patre Iudex, Legislator et Salvator hominum; cui Pater et Spiritus sanctus testimonium perhibuerunt, et in quo sunt nostra merita, exempla vivendi, auxilia, favores et praemia; factus nobis a Deo sapientia et iustitia, sanctificatio ac redemptio, in Ipso sit omnis cogitatio, meditatio et imitatio nostra.

Christo denique, qui cum Patre et Spiritu sancto coaeternus et consubstantialis, coaequalis et unus Deus vivit et regnat, sit sempiterna laus, honor et gloria in saecula saeculorum. Amen.

---

Exemplar authenticum ultimae Revisionis et Redactionis in plenario Congressu, a die 31 Maii usque ad 8 Iunii 1897 Romae.

FR. HIPPOLYTHUS, *Praeses Commissionis.*

FR. HILARIUS AB ANTWERPIA, *Secretarius.*

L. ✠ S.

FR. BERNARDUS AB ANDERMATT, *Min. Gen. Minor. Cap.*

